HIERONYMI FRACASTORII

SYPHILIS

SIVE

MORBUS GALLICUS.

CARMEN

AD OPTIMARUM EDITIONUM FIDEM EDIDIT
NOTIS ET PROLEGOMENIS AD HISTORIAM MORBI
GALLICI FACIENTIBUS INSTRUXIT

Ludovicus Choulant

PRAXEOS MEDICAE IN ACADEMIA MEDICA DRESDENSI
PROFESSOR.

LIPSIAE

APUD LEOPOLDUM VOSS.

1830.

VIRO

DE RE MEDICA OPTIME MERITO

GEORGIO CHRIST. THEOPHILO

L. B. DE WEDEKIND

MAGNO DUCI HASSIAE A CONSILIIS INTIMIS ET ARCHIATRO

ETC. ETC. ETC.

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORES

ANTE HOS QUINQUAGINTA ANNOS

D. XXIV. M. IUNII MDCCLXXX

IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE GOETTINGENSI

RITE ACCEPTOS

PIA MENTE GRATULATUR

ET HANC

CARMINIS FRACASTORIANI EDITIONEM

D. D. D.

LUDOVICUS CHOULANT.

Tertium hoc ipso anno excurrit saeculum, ex quo Fracastorii carmen de Syphilide primo quantum novimus typis excusum est, ita ut illi nunc redeat fausto omine saecularis solennitas. Quartum scilicet saeculum felicius auspicabitur, si semisaeculari festo TIBI *hodie celebrando gratulabundum accedere ei licuerit. Ipsa carminis, cui nullum post instauratas literas in latina lingua par existere eruditi contendunt, concinnitas et elegantia, et rei pertractatae his diebus in scholis medicorum renovata gravitas, novam eius editionem suadere videbantur. In qua curanda id summae mihi*

curae fuit, ut Fracastorii verba ad optimos et antiquissimos textus restituta et paucis illustrata exhiberet et ut Fracastoriana memoria TUOQUE nomine non prorsus indigna videri posset aequis harum rerum arbitris. TU vero, etsi parum haec assecutus fuerim,

„NE NOSTROS CONTEMNE ORSUS MEDICUMQUE LABOREM"!

CONSPECTUS.

Prolegomena.

Fracastorii Syphilis.

I.

DE ORIGINE MORBI GALLICI.

Morbus Gallicus, quem Fracastorius primus omnium quantum novimus Syphilidem dixit, dubiae est originis, quam scilicet maxime variam varii auctores ei attribuerunt. Alii morbum ex America nuper detecta derivabant atque a Columbo navigatore eiusque sociis in Hispaniam, a militibus Hispanis in Italiam, a militibus Gallis ex Italia sub Carolo VIII. in patriam reducibus in Galliam esse perductum contendebant, quam sententiam a Fallopio (de morb. Gall.) iam prolatam, ab Astruccio et Girtannero defensam, nunc vero ducibus Sanchezio et Henslero penitus refutatam videmus et derelictam. Fuerunt alii qui ex Asia morbum deducerent, ita quidem ut vel Indias Orientales accusarent, uti Schaufuss, qui per Cingaros luem in Europae regiones disseminatam putat, vel potius Asiam anteriorem, ut Schwediauer aliique. Fuerunt dein, qui ex Indiis Australibus morbum ortum esse

putarent, ut Reinholdus Forster, et minus certe affirmans Turnbull. Alii vero ex Africa, fertili malorum morborumque matre, natum putant, uti Sydenham, qui ex morbo apud Nigritas Guineae endemio, the Yaws dicto, derivat; uti etiam Gruner et Thiene, qui per Maranos ex Hispania depulsos per omnem Europam dissipatum credunt. Quum autem omnes scriptores, quos hucusque diximus, extra Europae fines morbi originem quaerant, sunt alii, qui in contrariam sententiam abeuntes syphilidem dicant in Europae regionibus indigenam. Et inter hos ipsos dissensio est, aliis scilicet syphilidem dicentibus morbum novum, antiquum aliis. Qui morbum novum putant et in ipsa Europa ortum, patriam eius vel Galliam faciunt, ut Itali, vel Italiam, ut Galli, vel Hispaniam, ut Belgae cum Italis et Gallis, vel Daciam, ut nuper Wizmann; dein morbum vel ex lepra ortum putant eiusque mitiorem esse formam, uti Sprengel, Struve aliique plurimi, vel epidemium morbum putant illis temporibus ortum vel astrorum maligno concursu, vel tempestatum vel inundationum vel denique morum pessime corruptorum vitio. Qui vero morbum antiquum esse putant, syphilidi adscribunt omnia in locis obscenis vitia, de quibus scriptores vel antiquissimi iam dixerunt; hanc sententiam tuentur Alliot, Becket, Maynwaring aliique.

Quum neque meum esse possit neque omnino huius loci, tantas componere lites, liceat breviter meam quoque de hac re sententiam interponere

ne in tanta opinionum copia et diversitate mihi soli ea penitus deesse videatur.

Lepra occidentalis, quae circa saeculum undecimum et duodecimum malignitatis summum culmen erat adepta, mitescere coepit his ipsis Europae regionibus saeculo decimo quarto, disparere versus finem saeculi decimi quinti. Hoc ipso tempore, scilicet saeculo decimo quinto ad finem vergente, natus est vel astrorum vel tempestatum vel morum vitio variis in locis simul morbus aliquis epidemius, cuius potiora symptomata in cute apparebant et interiora corporis per dolores et ulcera petebant. Morbus hic novus omnes veteris leprae reliquias consumsit quasi et in suam naturam mutavit, ut non amplius leprae cerneretur portentosa facies, sed morbus novus, leprae similis, non minus horrendus, sed per non admodum longa temporum intervalla aperte mitescens. Ita factum est, ut syphilis dici possit novus morbus et antiquus simul, quippe quae lepra sit ope epidemiae tunc temporis natae novam mitioremque formam adepta. Cuius originis leprosae signa et vestigia sunt partim nunc adhuc in syphilide observanda: cutis turpitudo, quae nunc, si maculas et condylomata exceperis, fere disparuit; ulcera faucium ex leprosorum raucedine nata; ossium dolores tumoresque et caries, quae cum leprosorum ossibus deformatis conveniunt. Obscenarum partium affectiones partim leprosorum hominum salacitati respondent, partim novo morbo morumque pravitati illorum temporum de-

bentur, partim antiquissima sunt vitia, syphilidi minime propria, sed ei perperam adscripta. Quum itaque syphilis hoc modo per tria saecula grassata sit, ut semper mitior evaderet lepraeque vestigia pedetentim deponeret, sperandum est, fore ut aliquando penitus evanescat, simplicissimam formam absque dyscratica labe induat et sic hydrargyro denique non amplius ad curationem egeat. Ad hoc vero temporis punctum speratum sperandumque nostris diebus nondum accessimus.

Quae res quum denuo per magnae contentionis disputationes tractatae sint satis alacriter, sperare licet, fore ut aliquis historica et medica doctrina bene imbutus, a partium studio et ignorantiae temeritate longe remotus, assiduitate et eruditionis modestia praeditus, syphilidis obscuras origines denuo perquirat, repertaque candide impertiat. Arduum sane opus et taedii plenum, sed dignum viro docto, et perutile rei medicae non minus quam historiae generis humani. Huic operi tentando quum me ipsum omnino imparem sentirem, pro viribus vero meas in hac re partes conferre optarem, exhibui his ipsis pagellis

1. *Scriptorum historicorum de morbo Gallico,*
2. *Collectionum de morbo Gallico*

accuratam et quantum fieri potuit plenam enumerationem, ut his adminiculis invitarem medicum quendam eruditum ad condendam veriorem huius morbi historiam.

SCRIPTA HISTORICA DE MORBO GALLICO.

Carol. PATIN (†1693) *luem veneream non esse morbum novum oratio.* Patav. 1687. 4.

Jean Bapt. Faust ALLIOT (†1730) et *Jo. Franc.* LEAULTE *quaestio medica an morbus antiquus syphilis.* Paris. 1717. 4. (defenditur morbi antiquitas).

Jo. Zachar PLATNER (†1747) *progr. de morbo Campano Horatii.* Lips. 1732. 4. Recus. in Opuscc. T. II. p. 21—28. (locum Horat. Satyr. I. 5. 62. non omnino ad syphilidem refert, sed ad consequentias vitae luxuriosae).

Jo. ASTRUC (†1766) *de morbis venereis libri sex.* Paris. 1736. 4. Recus. Paris. (Basil.) 1738. 4. Angl. vers. a *Will. Barrowby*, Lond. 1737. 8. — Editio altera plenior: *De morbis venereis libri novem.* Paris. 1740. 4. Vol. I. II.; Paris. 1743. 12. Vol. I—IV. Libros quatuor priores gallice vert. *Augustin François Jault*, Paris. 1740. 12. Vol. I—III. — Editio tertia aucta per *Jo. Astruc* et *Ant. Louis*, Paris. 1755. 12. Vol. I—IV. Recusa Venet. 1760. 4. additis duabus *Gerardi van Swieten* epistolis de mercurio sublimato et *Jos. Mar. Xaver. Bertini* diss. de usu mercurii. (Angl. vert. *Sam. Chapman*, Lond. 1755. 8.; German. vert. *Jo. Gottlob Heise*, Frankfurt u. Leipz. 1764. 8.) — Editio quarta: Paris. 1773. 12. Vol. I—IV. — Editio quinta, quam curavit *Anton. Louis*, Paris. 1777. 12. Vol. I—IV. (Astruccii opus doctum et diffusum nimis acriter originem Americanam defendit).

Anton. Nunhez Ribeiro SANCHEZ (†1783) *diss. sur l'origine de la maladie vénérienne, dans laquelle on prouve qu'elle n'a point été apportée de l'Amérique et qu'elle a commencé en Europe par une épidémie.* Paris. 1752. 12. (German. vert. *Georg Heinr. Weber*, Brem. 1775. 8.) Novo titulo ornata: Paris. 1765. 12.

— — *examen historique sur l'apparition de la maladie vénérienne en Europe et sur la nature de cette épidémie.* Lisbonne. 1774. 12. Cum priore dissertatione recudi fecit *Hieron. David Gaub*, Leid. 1777. 8. (utrumque opusculum anonymum est et contra Astruccii opinionem de syphilidis origine Americana docte pugnat).

Marmaduke BERDOE *an essay on the pudendagra.* Bath. 1771. 8.

Philipp Gabriel HENSLER (†1805) *Geschichte der Lustseuche, die zu Ende des XV. Jahrhunderts in Europa ausbrach. Erster Band.* Altona. 1783. 8.

— — *über den westindischen Ursprung der Lustseuche* Hamburg. 1789. 8. (est pars posterior secundi voluminis operi proxime antecedenti destinati, quod volumen vero integrum nunquam apparuit; opus doctissimum pugnat contra originem Americanam).

— — *progr. de herpete seu formica Veterum labis venereae non prorsus experte.* Kilon. 1801. 8.

La America vindicada de la calumnia de haber sido madre del mal venereo. Madrid. 1785. 4.

William TURNBULL *an inquiry into the origin and antiquity of the lues venerea, with observations on its introduction and progress in the Islands of the South-Sea.* Lond. 1786. 8. German. vert. *Christian Friedrich Michaelis.* Zittau und Leipzig. 1789. 8. (defendit auctor originem Americanam, dubitat, utrum ab Anglis Gallisve advecta sit syphilis ad insulas Australes, an ibi iam prius extiterit).

SARMIENTO *antiguedad de las bubas.* Madrid. 1787. 8.

Christoph GIRTANNER (†1800) *Abhandlung über die venerische Krankheit.* Göttingen. 1788. 1789. 8. Vol. I—III. Volumen primum habuit editiones quatuor, quarum postremam curavit *Ludov. Guil. Christoph. Cappel*, Götting. 1802. 8.; Volumen secundum et tertium recudebantur Götting. 1795. 8. (continet seriem scriptorum de lue venerea sat numerosam usque ad ipsa auctoris tempora; sed neque fideliter excerpta, neque candide diiudicata, acriter scilicet pugnatur pro origine Americana armis non semper adeo laudabilibus).

Curt. SPRENGEL *diss. de ulceribus virgae, tentamen historico-chirurgicum.* Halae. 1790. 8. (multo magis huc faciunt doctissimi Auctoris notae ad germanicam versionem operis Perenotti di Cigliano de infectione venerea, quae versio apparuit Lipsiae. 1791. 8. Cf. *Sprengel Beiträge zur Geschichte der Medicin*, III, 59 sq. et eius *Geschichte der Arzneikunde* Bd. II.)

Christian Godofred. GRUNER (†1815) *morbi Gallici origines Maranicae.* Jenae. 1793. 4. (redit hoc programma in eiusdem auctoris Scriptor. de morbo Gallico, quod opus dicemus inter collectiones. Cf. *Almanach für Ärzte und Nichtärzte* 1783, p. 285; 1784, p. 224; 1788, p. 237; 1790, p. 139; 1792, p. 51. 188; 1793, p. 69; 1794, p. 229; 1797, p. 227).

Sim. N. H. LINGUET (†1794) *histoire politique et philosophique du Mal de Naples.* Paris 1796. (?) 8.

Jul. Heinr. Gottlieb SCHLEGEL *Versuch einer Geschichte des Streites über die Identität des Venus- und Trippergiftes.* Jena. 1796. 8. (antea diss. inaug. ibid. 1795.)

SCHAUFUSS neueste Entdeckungen über das Vaterland und die Verbreitung der Pocken und der Lustseuche. Leipz. 1805. 8. (patriam utriusque morbi esse Asiam, luem veneream per Cingaros in Europam fuisse disseminatam).

Carl Sam. TÖRNBERG diss. sistens sententiarum de vera morbi Gallici origine synopsin historicam Jenae. 1807. 8.

Gust. Adolph WERNER diss. de origine ac progressu luis venereae. Lips. 1819. 4. (putatur syphilis morbus antiquus et ex lepra et nimia libidine ortus).

J. L. W. WENDT bydrag til historien af den veneriske sygdoms begyndelse og fremgang i Danmark. Kiöbnhavn. 1820. 8.

Nicol. BARBANTINI notizie istoriche concernenti il contagio venereo, le quali precedono la sua opera sopra questo contagio. Lucca. 1820. 8.

Domenico THIENE lettere sulla storia de' mali venerei. Venezia. 1823. 8. (epistolae novem sat memorabiles; defenditur antiquitas morbi et origo Africana).

V. A. HUBER Bemerkungen über die Geschichte und Behandlung der venerischen Krankheiten. Stuttgart und Tübingen. 1825. 8. (parvae molis libellus sed lectu dignissimus).

A. Pet. de JURGENEW diss. sistens luis venereae apud Veteres vestigia. Dorpat. 1826. 8.

Frid. Alex. SIMON (jun.) über den Sublimat und die Inunctionscur. Ein historisch-kritischer Versuch. Hamburg. 1826. 8.

— — *Versuch einer kritischen Geschichte der örtlichen Lustübel und ihres Verhältnisses zu der Ende des XV. Jahrhunderts erschienenen Lustseuche.* Erster Theil. Hamburg. 1830. 8. (gonorrhoeam complectens eiusque antiquitates).

COLLECTIONES DE MORBO GALLICO.

PAPIAE, 1516. *fol. ex offic. Bernhardini de Garaldis.* (Astruc II. 623.)

Continet Nicol. Leoniceni librum de morbo Gallico, Jo. Almenar libell. de morb. Gall., Angeli Bolognini ll. de ulcerum exteriorum medela et de unguentis; Alex. Benedicti l. de pestilenti febre et Dominici Massariae ll. 3. de ponderibus et mensuris medicinalibus.

(VENET?) 1532. 8. *Sine loci et typographi nota.* (Astruc II. 652.)

Continet Nicol. Massae, Jo. Almenar et Nic. Leoniceni ll. de morbo Gallico, et Bolognini duo opuscula iam in priori collectione contenta.

Venet., 1535. 8. *per Jo. Patavinum et Venturinum de Ruffinellis.* (Astruc II. 659.)
Sub titulo: „*Liber de morbo Gallico, in quo diversi celeberrimi in tali materia scribentes medicinae continentur auctores etc.*" continet haec collectio libros iam dictos Leoniceni, Almenar et Bologuini, quibus accedunt Ulrici de Hutten liber de guaiaci medicina, Petri Andr. Matthioli dialogus de morbo Gallico, Laur. Phrysii epitome de cur. morb. gall., et Nic. Poll de cura morbi gall. per lign. Guaiacum.

Basil., 1536. 4. *apud Jo. Bebelium.* (Astruc II. 660.)
Hanc collectionem curavit, quod ex dedicatione ad Adamum Bresinium (Basil. idib. Mart. 1536.) patet, *Josephus Tectander*, Cracoviensis. Titulus: „*Morbi gallici curandi ratio exquisitissima a varijs ijsdemque peritissimis medicis conscripta etc.*" Continet Matthioli, Almenar, Massae, Pollii et Bolognini opuscula cum Benedicti de Victoriis l. de morbi Gallici curandi ratione, et indice rerum generali secundum literarum seriem.

Lugduni, 1536. 8. *expensis Scipionis de Gabiano et Fratrum, mense Augusto.*
Repetitio collectionis Basiliensis charactere cursivo; paginis 280 et 16. Mireris in dedicatione Tectandrum de collectione Veneta loqui, cui ipse in sua (Basileensi) conficienda nil addiderit nisi Massae opus et „tractatum quem Benedictus Victorius Faventinus — nobis dictaverat." Eiusmodi collectio quae Matthioli, Almenaris, Pollii et Bologuini opera solum contineat, nondum nobis innotuit.

Venet., 1566—67. *fol. apud Jordanum Zilettum.* (Astruc II. 777.)
Collectio *Aloysii Luisini*, medici Utinensis, vastum opus et tripartitum. Constat scilicet tomo priore, tomo posteriore et appendice tomi prioris, quae omnia plerumque unico sat spisso volumine continentur. Tomus prior habet titulum: „*De morbo Gallico omnia quae extant apud omnes medicos cuiuscunque nationis etc.*", complectitur 8,736 et 28 paginas. Tomus posterior inscriptus est: „*De morbo Gallico tomus posterior etc.* Venet. 1567. paginarum 24 et 216. Tertia denique pars sub titulo: *Appendix tomi prioris de morbo Gallico, in quo qui eidem iam antea destinati fuerant reliqui congesti sunt auctores etc.*," paginas habet 4, 96 et 6. Seriem auctorum in hac collectione contentorum exhibet Astruc l. c.

Venet., 1599. *fol. apud Barctium et Socios.* (*Astruc. II.* 846.)
Repetitio collectionis Luisinianae sub titulo: *Aphrodisiacus sive de lue venerea in duo volumina bipar-*

titus — opus — ab excellentissimo Al. Luisino, Utinensi, Medico celeberrimo novissime collectum."

Lugd. Batav., 1728. *fol., apud Joh. Arnold. Langerak et Joh. et Herm. Verbeek.* (Astruc II. 1070.)

Collectionis Luisinianae nova editio, quam curavit *Hermann Boërhaave* sub titulo: „*Aphrodisiacus sive de lue venerea in duos tomos bipartitus — opus — ab Al. Luisino novissime collectum, indice rerum omnium scitu dignarum adornatum. Editio longe emendatior et ab innumeris mendis repurgata.*" Videtur Boërhaavius Baretii editionem secutus; novos auctores non addidit, ordinem a Luisino observatum retinuit, nisi quod appendicem tomi primi ad calcem huius tomi poneret, igitur inter primum tomum et secundum. Praefationem doctam de luis venereae natura praemisit, quae aliquoties seorsim recusa atque etiam gallice versa extat.

London, 1736. 8., *printed for John Clarke.* (Astruc II. 1110.)

Chirurgus Anglus, *Daniel Turner*, edidit anglico idiomate epitomen ex collectione Luisini, ita ut scriptorum in ea contentorum placita ad tres locos communes redigeret, scil. ad originem morbi, ad symptomatum cognitionem et ad curam eiusdem. Inscribitur: „*Aphrodisiacus containing a summary of the ancient writers on the venereal disease etc.*"

Jenae, 1789. *fol., apud Chr. Henr. Cunonis heredes.*

Est supplementum primum *Chr. Godofredi Gruneri* ad collectionem Luisinianam, continens fragmenta ex 136 variis scriptoribus, notas historicas apprime doctas, glossarium vocum medico-barbararum, indicem rerum, et praefationem historicam. Operis utilissimi titulus est: „*Aphrodisiacus sive de lue venerea in duas partes divisus, quarum altera continet eius vestigia in veterum auctorum monimentis obvia, altera quos Al. Luisinus temere omisit scriptores et medicos et historicos ordine chronologico digestos etc.*" Habet 14, 166 et 16 pagg.

Jenae, 1793. 8., *sumtibus bibliopolii academici.*

Eiusdem *Gruneri* supplementum alterum ad Luisini collectionem; continens 27 fragmenta, inter quae eminet Juliani Tani opus de saphati (pag. 4—232.), quod ex codice manuscripto hic primo typis excusum prodit. Accedit Gruneri opusculum: Morbi Gallici origines Maranicae, et praefatio cum glossario, indice et notis. Titulus: „*De morbo Gallico scriptores medici et historici partim inediti partim rari et notationibus aucti etc.*," pag. 18, 38 et 624.

II.

FRACASTORII VITA.

Hieronymus Fracastorius (*Girolamo Fracastoro*) Veronae natus anno 1483, patre Paulo Philippo, matre Camilla Mascarellia, Vicentina. Quae circumferuntur de infantia Fracastorii narrationes, labiis clausis cultri ope aperiendis eum natum fuisse, dein matrem eius cum puerulum sinu foveret fulminis ictu fuisse attonitam, his eo facilius carere lector poterit, quo minus firmo nitantur fundamento historico.

Educationis liberalioris, quae domi iam Hieronymo contigerat, continuandae causa, Patavinum petiit gymnasium, in quo tunc temporis celeberrimo et instructissimo praesertim philosophiam et mathesin, serius etiam medicinam studio amplexus est adeo singulari et felici, ut ex tironum subselliis ei mox aditus pateret ad suggestus doctorum, et id quidem anno aetatis vigesimo vix absoluto.

Bellum a Maximiliano Imperatore in Italia illis temporibus gestum ne gymnasio quidem Patavino

pepercit, quo factum est, ut Hieronymus, cui simul patris mors nuntiata erat, Veronam redire se accingeret. Sed precibus Comitis Bartholomaei Liviani (***Bartolomeo d'Alviano***), copiarum Venetarum ducis, qui armorum gloria non minus quam studiis humanioribus inclaruit, permotus academiam ad Portum Naonem (***Pordunone***) adiit et doctoris munere functus ornavit. Brevi admodum temporis spatio in illa academia versatus ducem Livianum in castra secutus est usque ad cladem Aduanam (***Ghiera d'Adda***), qua facta et Liviano a Gallis capto in patriam tandem rediit Hieronymus. Veronae mox medicinam practicam fecit, mox in villa ad montem Caphium (***Monte Incaffi***) inter Athesin et lacum Benacum sita studiis variis, praesertim astronomicis et poëticis incubuit. Medicae artis et experientiae fama adeo inclaruit, ut pontifex maximus, Paulus III. munus medici in concilio Tridentino ei demandaret. Quo munere functus pestem urbi Tridentinae mox insistere praedixit, et ita effecit, ut mense Aprili 1547 concilium Tridento Bononiam migraret, quae res gratissima contigit summo pontifici.

Poësin latinam, cui Leo X., humanitatis studiorum tunc in Italia summus vindex et instaurator, aureum saeculum aperuerat, felicissimo eventu coluit Hieronymus, aemulatus in hoc genere Sannazarii, Naugerii, Cottae, Bembi aliorumque ex recentioribus gloriam, imitatus vero ex veteribus fere solum Virgilium.

Ita non intra Italiae fines Hieronymi fama se continuit, sed extra patriam quoque terram ad Caroli V. imperatoris Germaniae, et ad Francisci I. regis Galliae aures pervenit. Invitationem Margarithae Valesiae, ut Italia relicta apud Gallos habitaret, recusavit; Fernelium medicum consiliis adiuvisse in re sat gravi et lubrica, sunt qui perhibent.

Mortuus est Hieronymus in villa sua montis Caphii, die sexta Augusti anni 1553, apoplexia correptus, superstite unico filio Paulo Philippo, reliquis tribus morte praematura iam prius defunctis. Funus Hieronymi deportatum est Veronam, ibique in aede D. Euphemiae solenni admodum ritu sepultum. Joannes Bapt. Rhamnusius (***Ramusio***, qui itinerum collectionem quam ediderat Fracastorio dedicavit) effigiem eius aeneam et illam amici Naugerii ponere curavit in fornice portae iuxta pontem St. Benedicti, quae Patavii est, addita antiquae arae pervetusta dicatione ex ruinis Salonae urbis eruta. Monumentum ipsum cum inscriptionis verbis videre licet in editione opp. Fracast. Venet. 1555. 4. Statuam marmoream civi suo decrevit grata Verona anno 1555, quam fecit sculptor Danesius Cataneus. Ex innumeris Fracastorii laudes celebrantibus poëmatibus (v. Jul. Caes. Scaligeri arae Fracastoreae) seligamus breve quoddam Adami Fumani Veronensis:

Longe vir unus omnium doctissimus,
Verona per quem non Marones Mantuae
Nec nostra priscis invident iam saecula,

Virtute summam consecutus gloriam
Iam grandis aevo hic conditur Frastorius.
Ad tristem acerbae mortis eius nuntium
Vicina flevit ora, flerunt ultimae
Gentes perisse musicorum candidum
Florem, optimarum et lumen artium omnium.

Nummos binos in honorem Fracastorii percussos memorat Car. Asm. Rudolphi (*Index numismatum in virorum de rebus medicis vel physicis meritorum memoriam percussorum*, *Berol.* 1825. 8. *pag.* 36.); alter habet Fracastorii effigiem et in averso aram accensam cum serpente, libro aperto, sphaera, chelyde et laurea; accedit inscriptio: *Minervae, Apollini et Aesculapio sacrum;* alter nummus habet effigiem Catulli, Maphei et Fracastorii cum inscripto anno 1805, in averso Minervam, prope quam Historia sedet iuveni lauream porrigens, cum inscriptione: *Sertum colenti.*

Vitam Fracastorii narravit auctor anonymus (forsan *Rhamnusius*) in editionibus operum Juntinis; *Franc. Pola* in Chioccii opere de collegii Veronensis medicis et philosophis; *Frid. Otto Mencken*, tam elegantis medici minime dignus biographus, in proprio et diffusissimo opere, quod prodiit Lipsiae, 1731. 4. sub titulo: „*De vita, moribus, scriptis, meritisque in omne literarum genus prorsus singularibus H. Fracastorii.*“ Cfr. quoque inter multos alios Fracastorii laudatores *William Roscoe* in vitae Leonis X. volumine tertio, et *P. A. Budik* Leben und Wirken der vorzüglichsten lateinischen Dichter des XV. bis XVIII.

Jahrhunderts. Wien, 1827. 8. (Vol. I—III.), volumen secundum.

Scripta Fracastorii sunt vel prosa oratione, ut:

Homocentrica sive de stellis liber unus.
De causis criticorum dierum libellus.
De sympathia et antipathia liber unus.
De vini temperatura sententia.
Naugerius sive de poëtica dialogus.
Turrius sive de intellectione dialogus.
Fracastorius sive de anima dialogus.

vel poëtico et ligato sermone, ut:

Syphilis sive morbus Gallicus.
Joseph. (non absolutum.)
Alcon sive de cura canum venaticorum.
Carmina varia.

Prodierunt horum operum collectorum editiones satis numerosae:

Venet., 1555. 4., *apud Juntas.* (curavit Paul. Rhamnusius) recusa ibid. 1574. 4., ibid. 1584. 4.

Lugd., 1591. 8. *apud Franc. Fabrum.* (duobus tomis constans nitida editio, cui carmen Alcon inest, prioribus editionibus nondum additum).

Montispessuli, 1622. 8. (duobus tomis constans).

Genevae, 1621. 8. *apud Sam. Crispinum.* Ibid. 1637. 8. ap. *Jac. Stoer;* ibid. 1671. 8. ap. *Sam. Chouet;* 1691. 8. et pluries.

Praestantissimum vero opus Fracastorii, quo famam perennem sibi apud omnes artium liberalium cultores acquisivit, est carmen, quod inscribitur *Syphilis,* Petro Bembo dedicatum. Ex versiculis I. 15, 16. discimus, hoc ipsum carmen iam ante annum 1521 fuisse absolutum, quo anno scilicet Leo X. Pont. Max. diem obiit supremum. Attamen ante annum 1530 editio impressa hucusque nulla innotuit. Prodierunt autem carminis Fracastoriani de morbo Gallico plures editiones et versiones:

EDITIONES.

Veronae, 1530. 4. *mense Augusto.*
Editio rarissima, forsan princeps. Vide Jo. Benj. Böhmeri biblioth. med. philos. (Lips. 1755.) n. 3805, ubi forma 8. mai. ei tribuitur, et Ebert bibl. Lexik. n. 7851.

Romae, 1531. 4., *apud Anton. Bladum Asulanum, mense Septembri.*
Editionem hactenus nullibi commemoratam ipse possideo. Charact. literar. cursivus, 24 lin., folia 31 cum sign. et cust., sine numeris folior. et versuum. Folium 31 habet Emendanda.

Paris., 1531. 8. *apud Ludovicum Cyaneum.*
Menckenio dicta editio, notitiae fonte non indicato.

Basil., 1536. 8. *apud Bebelium.*
Char. lit. cursivus, 26 lin., folia 28 cum sign. et cust., sine numeris foliorum et versuum.

Paris., 1539. 16., *apud Foucherium.*

Lugd., 1547. 12., *apud Jo. Frellonium.*

Antwerp., 1562. 8. *apud. Martin. Nutium.*

Londini, 1720. 4., *ibid.* 1746. 4.

VERSIONES ITALICAE.

Napoli, 1731. 8., *presso il Parrino.*
Vertit *Pietro Belli*, Nobilis Leccensis, in versus italicos non malos, qui redeunt in *Raccolta di poëmetti didascalici*, *Tomo III.*, *Milano*, 1822. 8. Exhibet haec editio Neapolitana ipsum Fracastorii carmen latinum pag. 59—104.

Bologna, 1738. 4.
Vertit *Sebastiano degli Antoni*, Vicentinus, medicus (†1750). Defendit suam versionem contra aemulos et obtrectatores in *Risposta ad una lettera critica d'autore anonimo sopra il di lui volgarizzamento della sifilide. Vicenza*, 1740. 4.

Verona, 1739. 4., *appresso Dionigi Ramanzini.*
Vertit *Antonio Tirabosco.*

Padova, 1739. 4., *presso Gius. Comino.*
Vertit *Vincenzo Benini*, Coloniensis, medicus, qui etiam notas quasdam in Celsi libros exhibuit, additas editionibus Celsi Patav., 1750. et Venet., 1763. Versio Syphilidis paucis tantum exemplis seorsim impressis extat, reliquis omnibus collectioni poëmatum variorum insertis, quae Patav. 1739. eodem typographeo prodiit. (Ebert bibl. Lex. n. 7850).

Bologna, 1765. 8. *per Lelio della Volpe.*
Nitida editio eiusdem versionis a Beninio factae, cum Fracastorii effigie. Accedunt textus latinus ex adverso appositus, prolegomena et notae.

Cremona, 1821. 4.

Vertit *Giovanni Luigi Zaccarelli.* — Aliam antiquiorem adhuc perhibent versionem italicam ab *Ercole Cato*, Jurisconsulto, versus finem saeculi XVI. confectam forsan nunquam impressam.

VERSIONES GALLICAE.

Paris., 1753. 8., *chez Jacques Franç. Quillau, imprimerie de Jean Lamesle.*

Verterunt *Macquer* et *Jacq. Lacombe*, medicae artis ignari. Versionem pedestri sermone et parum poëticam dederunt, textum latinum ex adverso, notulas quasdam in calce libri addiderunt. — Non certo constat de versione, quam Petrus Laetus seu *Pierre Joyeuse* (†1590) confecisse dicitur lingua Gallica.

Ceterum legitur textus latinus carminis de morbo Gallico in omnibus Fracastorii operum ***Editionibus,*** quas diximus; deinde in ***Collectionibus carminum Fracastorii et coaevorum,*** quae collectiones prodierunt Patavii 1718. 8. et 1739. 4., Veronae 1740 et 1747. 12., Venet. 1759. 12. etc.; in collectione carminum, quam edidit Janus Gruterus sub titulo ***Deliciae CC. Italorum poëtarum collectore Ranutio Ghero***, Francof. 1608. 12. T. I. pag. 1045 sq.; in ***Carminibus illustrium poëtarum Italorum***, Flor. 1719 sq. 8. Tom. V. p. 1 sq.; denique in ***Collectione Luisiniana*** de morbo Gallico, Venet. 1566. Tom. I., p. 161 sq., Lugd. Batav. 1728. p. 183 sq.

De Syphilide Fracastorii cfr. Andreae ***Chiocci*** Veronensis apologia pro divina Hier. Fracastorii Syphilide adversus Jul. Caes. Scaligeri censuram. Veronae 1598. 4., in quo libro defenditur Fracastorius adversus Scaligerum, qui carmen quidem eximie laudaverat, sed cuius vituperatio locorum quorundam concivi poëtae displicuerat.

HIERONYMI FRACASTORII

SYPHILIS

SIVE

MORBUS GALLICUS.

LIBRI TRES.

2

LIBER PRIMUS.

Qui casus rerum varii, quae semina morbum
Insuetum nec longa ulli per saecula visum
Attulerint, nostra qui tempestate per omnem
Europam, partimque Asiae, Libyaeque per urbes
Saeviit, in Latium vero per tristia bella
Gallorum irrupit, nomenque a gente recepit,
Nec non et quae cura, et opis quid comperit usus,
Magnaque in angustis hominum solertia rebus,
Et monstrata Deûm auxilia et data munera coeli
Hinc canere, et longe secretas quaerere causas
Aëra per liquidum et vasti per sidera Olympi
Incipiam: dulci quando novitatis amore
Correptum placidi naturae suavibus horti
Floribus invitant et amantes mira Camoenae.
Bembe, decus clarum Ausoniae, si forte vacare
Consultis Leo te a magnis paulisper et alta
Rerum mole sinit, totum qua sustinet orbem,
Et iuvat ad dulces paulum secedere Musas:
Ne nostros contemne orsus medicumque laborem,
Quidquid id est. Deus haec quondam dignatus Apollo est

Et parvis quoque rebus inest sua saepe voluptas,
Scilicet hac tenui rerum sub imagine multum
Naturae fatique subest et grandis origo.
Tu mihi, quae rerum causas, quae sidera noscis
Et coeli effectus varios atque aëris oras,
Uranie (sic dum puro spatiaris Olympo
Metirisque vagi lucentes aetheris ignes,
Concentu tibi divino cita sidera plaudant)
Ipsa ades, et mecum placidas Dea lude per umbras,
Dum tenues aurae, dum myrtea silva canenti
Aspirat resonatque cavis Benacus ab antris.
Dic Dea quae causae nobis post saecula tanta
Insolitam peperere luem? num tempore ab illo
Vecta mari occiduo nostrum pervenit in orbem,
Ex quo lecta manus solvens de littore Ibero
Ausa fretum tentare vagique incognita ponti est
Aequora, et orbe alio positas perquirere terras?
Illic nanque ferunt aeterna labe per omnes
Id morbi regnare urbes, passimque vagari
Perpetuo coeli vitio, atque ignoscere paucis.
Commercine igitur causa accessisse putandum est
Delatam contagem ad nos, quae parva sub ipsis
Principiis mox et vires et pabula sensim
Suscipiens sese in terras diffuderit omnes?
Ut saepe in stipulas cecidit cum forte favilla
De face, neglectam pastor quam liquit in arvo,
Illa quidem tenuis primum similisque moranti
Incedit, mox, ut paulatim increvit eundo,
Tollitur et victrix messem populatur et agros
Vicinumque nemus, flammasque sub aethera iactat.

Dat sonitum longe crepitans Iovis avia silva
Et coelum late circum campique relucent.
At vero, si rite fidem observata merentur,
Non ita censendum: nec certe credere par est
Esse peregrinam nobis transque aequora vectam
Contagem, quoniam in primis ostendere multos
Possumus, attactu qui nullius hanc tamen ipsam
Sponte sua sensere luem, primique tulere.
Praeterea et tantum terrarum tempore parvo
Contages non una simul potuisset obire.
Aspice per Latii populos, quique herbida Sagrae
Pascua et Ausonios saltus et Iapygis orae
Arva colunt, specta Tiberis qua labitur, et qua
Eridanus centum fluviis comitatus in aequor
Centum urbes rigat et placidis interfluit undis:
Uno nonne vides ut tempore pestis in omnes
Saeviit, ut sortem pariter transegimus unam?
Quin etiam externos eadem per tempora primum
Excepisse ferunt, nec eam cognovit Ibera
Gens prius, ignotum quae scindere puppibus aequor
Ausa fuit, quam quos disterminat alta Pyrene,
Atque freta atque Alpes cingunt Rhenusque bicornis,
Quam reliqui, quos lata tenet gelida ora sub Arcto.
Tempore non alio Poeni sensistis et omnes,
Qui laetam Aegyptum metitis foecundaque Nilo
Arva et palmiferae silvas tondetis Idumes.
Quae quum sic habeant sese, nempe altius isti
Principium labi rerumque latentior ordo,
Ni fallor, graviorque subest et maior origo.
Principio quaeque in terris quaeque aethere in alto

Atque mari in magno Natura educit in auras,
Cuncta quidem nec sorte una nec legibus iisdem
Proveniunt, sed enim, quorum primordia constant
E paucis, crebro ac passim pars magna creantur:
Rarius ast alia apparent, et non nisi certis
Temporibusve locisve, quibus violentior ortus
Et longe sita principia: ac nonnulla, prius quam
Erumpant tenebris et opaco carcere noctis,
Mille trahunt annos, spatiosaque saecula poscunt,
Tanta vi coëunt genitalia semina in unum.
Ergo et morborum, quoniam non omnibus una
Nascendi est ratio, facilis pars maxima visu est
Et faciles ortus habet et primordia praesto.
Rarius emergunt alii, et post tempore longo
Difficiles causas et inextricabile fatum
Et sero potuere altas superare tenebras.
Sic Elephas sacer Ausoniis incognitus oris,
Sic Lichen latuere diu, quibus accola Nili
Gens tantum regioque omnis vicina laborat.
De genere hoc est dira lues, quae nuper in auras
Exiit et tandem sese caligine ab atra
Exemit, durosque ortus et vincula rupit.
Quam tamen, aeternum quoniam dilabitur aevum,
Non semel in terris visam sed saepe fuisse
Ducendum est, quanquam nobis nec nomine nota
Hactenus illa fuit, quoniam longaeva vetustas
Cuncta situ involvens et res et nomina delet,
Nec monumenta patrum seri videre nepotes.
Oceano tamen in magno sub sole cadente,
Qua misera inventum nuper gens incolit orbem,

Passim oritur nullisque locis non cognita vulgo est.
Usque adeo rerum causae atque exordia prima
Et coelo variare et longo tempore possunt.
Quodque illic fert sponte aër et idonea tellus,
Huc tandem annorum nobis longa attulit aetas.
Cuius forte suo si cunctas ordine causas
Nosse cupis, magni primum circunspice mundi
Quantum hoc infecit vitium, quot adiverit urbes.
Quumque animadvertas tam vastae semina labis
Esse nec in terrae gremio nec in aequore posse,
Haud dubie tecum statuas reputesque necesse est,
Principium sedemque mali consistere in ipso
Aëre, qui terras circum diffunditur omnes,
Qui nobis sese insinuat per corpora ubique
Suetus et has generi viventum immittere pestes.
Aër quippe pater rerum est et originis auctor.
Idem saepe graves morbos mortalibus affert,
Multimode natus tabescere corpore molli,
Et facile affectus capere atque inferre receptos.
Nunc vero, quonam ille modo contagia traxit,
Accipe, quid mutare queant labentia saecla.
In primis tum sol rutilus, tum sidera cuncta
Tellurem liquidasque auras atque aequora ponti
Immutant agitantque, utque ipso sidera coelo
Mutavere vicem et sedes liquere priores:
Sic elementa modis variis se grandia vertunt.
Aspice ut, hibernus rapidos ubi flexit in Austrum
Phoebus equos nostrumque videt depressior orbem,
Bruma riget duratque gelu spargitque pruina
Tellurem, et gelida glacie vaga flumina sistit.

Idem, ubi nos Cancro propior spectavit ab alto,
Urit agros, arent nemora et sitientia prata,
Siccaque pulvereis aestas squallescit in arvis.
Nec dubium, quin et noctis nitor, aurea Luna,
Cui maria alta, omnis cui rerum obtemperat humor,
Quin et Saturni grave sidus, et aequior orbi
Stella Iovis, quin pulchra Venusque, et Martius ignis,
Ac reliqua astra etiam mutent elementa trahantque
Perpetuum, et late magnos dent undique motus.
Praecipue sedem si quando plurima in unam
Convenere, suo vel multum devia cursu
Longe alias tenuere vias: haec scilicet annis
Pluribus et rapidi post multa volumina coeli
Eveniunt, Diis fata modis volventibus istis.
Ut vero evenisse datum est, numerumque diesque
Exegere suos praefixaque tempora fatis,
Proh quanta aërios tractus, salsa aequora quanta,
Telluremque manent! alibi quippe omnia late
Cogentur spatia in nubes; coelum imbribus omne
Solvetur, summisque voluti montibus amnes
Praecipites secum silvas secum aspera saxa
Secum armenta trahent, medius pater impete magno
Aut Padus aut Ganges super et nemora alta domosque
Turbidus aequabit pelago freta lata sonante.
Aestates alibi magnae condentur, et ipsae
Flumina speluncis flebunt arentia Nymphae.
Aut venti cuncta invertent, aut obice clausi
Excutient tellurem imam et cum turribus urbes.
Forsitan et tempus veniet, poscentibus olim
Natura fatisque Deûm, quum non modo tellus

Nunc culta aut obducta mari aut deserta iacebit,
Verum etiam sol ipse novum (quis credere possit?)
Curret iter, sua nec per tempora diffluet annus:
Ast insueti aestus insuetaque frigora mundo
Insurgent, et certa dies animalia terris
Monstrabit nova, nascentur pecudesque feraeque
Sponte sua, primaque animas ab origine sument.
Forsitan et maiora audens producere tellus
Coeumque Enceladumque feret magnumque Typhoëa,
Ausuros patrio Superos detrudere coelo,
Convulsumque Ossan nemoroso imponere Olympo.
Quae quum perspicias, nihil est, cur tempore certo
Admirere novis magnum marcescere morbis
Aëra, contagesque novas viventibus aegris
Sidere sub certo fieri et per saecula longa.
Bis centum fluxere anni, quum flammea Marte
Lumina Saturno tristi immiscente per omnes
Aurorae populos, per quae rigat aequora Ganges,
Insolita exarsit febris, quae pectore anhelo
Sanguineum sputum exagitans (miserabile visu)
Quarta luce frequens fato perdebat acerbo.
Illa eadem Assyriae gentes et Persidos et quae
Euphratem Tigrimque bibunt post tempore parvo
Corripuit, ditesque Arabas mollemque Canopum,
Inde Phrygas, inde et miserum trans aequora vecta
Infecit Latium atque Europa saeviit omni.
Ergo age, iam mecum semper sese aethera circum
Volventem Superûmque domos ardentiaque astra
Contemplare, animumque agitans per cuncta require,
Quis status illorum fuerit, quae signa dedere

Sidera, quid nostris coelum portenderit annis:
Hinc etenim tibi forte novae contagis origo
Omnis et eventus tanti via prima patescet.
Aspice candentes magni qua Cancer Olympi
Excubat ante fores et brachia pandit aperta:
Hinc dirae facies, hinc se diversa malorum
Ostendent portenta: una hac sub parte videbis
Magna coisse simul radiis ardentibus astra
Et coniuratas sparsisse per aëra flammas.
Flammas, quas longe tumulo Sirenis ab alto
Prospiciens senior Vates, quem dia per omnes
Coelicolûmque domos duxit docuitque futura
Uranie: miseras, inquit, defendite terras,
O Superi, insolitam video per inania ferri
Illuviem et magnos coeli tabescere tractus,
Bella etiam Europae miserae, bella impia, et agros
Ausoniae passim currentes sanguine cerno.
Dixit, et illa etiam scriptis ventura notavit.
Mos Superùm est, ubi saecla vagus sol certa peregit,
Ab Iove decerni fata et cuncta ordine pandi,
Quaecunque eventura manent terrasque polumque.
Quod tempus quum iam nostris venientibus annis
Instaret, rerum summus sator et Superùm rex
Iupiter acciri socios in rebus agendis
Saturnum Martemque iubet: bipatentia Cancer
Limina portarum reserat Diisque atria pandit.
Conveniunt, quibus est fatorum cura gerenda:
Impiger ante alios flammis ferroque coruscans
Bellipotens Mavors, animis cui praelia et arma
Vindictaeque manent et ovantes sanguine caedes.

Post placidus curru invectus rex Iupiter aureo
Insequitur, ni fata obstent, pater omnibus aequus.
Postremus longaque via tardatus et annis
Falcifer accedit senior, qui haud immemor irae
In natum veteris nato et parere recusans
Saepe etiam cessit retro et vestigia torsit,
Multa minans multumque animo indignatus iniquo.
Iupiter at solio ex alto, quo se solet uno
Tollere, percenset fata et ventura resolvit,
Multum infelicis miserans incommoda terrae,
Bellaque fortunasque virùm, casuraque rerum
Imperia, et praedas, adapertaque limina morti:
In primis ignota novi contagia morbi,
Morbi, qui humanae nulla mansuescat opis vi.
Assensere Dei reliqui: concussus Olympus
Intremuit tactusque novis defluxibus aether.
Paulatim aërii tractus et inania lata
Accepere luem, vacuasque insuetus in auras
Marcor iit coelumque tulit contagia in omne.
Sive quod ardenti tot concurrentibus astris
Cum sole e pelago multos terraque vapores
Traxerit ignea vis, qui misti tenuibus auris
Correptique novo vitio contagia visu
Perrara attulerint: aliud sive aethere ab alto
Demissum late aërias corruperit oras.
Quanquam animi haud fallor, quid agat quove ordine
Dicere et in cunctis certas perquirere causas, [coelum
Difficile esse: adeo interdum per tempora longa
Effectus trahit, interdum (quod fallere possit)
Miscentur fors et varii per singula casus.

Nunc age, non id te lateat, super omnia miram
Naturam et longe variam contagibus esse.
Solis nam saepe arboribus fit noxius aër,
Et tenerum germen florumque infecit honorem,
Interdum segetem et sata laeta annique labores
Corripuit, scabraque ussit rubigine culmos,
Et vitiata parens produxit semina tellus.
Interdum poenas animalia sola dedere,
Aut multa, aut certa ex ipsis. Memini ipse malignam
Luxuriem vidisse anni, multoque madentem
Autumnum perflatum Austro, quo protinus omne
Caprigenum pecus e cunctis animantibus unum
Corruit: a stabulis laetas ad pabula pastor
Ducebat, tum forte, alta securus in umbra
Dum caneret tenuique gregem mulceret avena,
Ecce aliquam tussis subito irrequieta tenebat,
Nec longe mora mortis erat: nanque acta repente
Circum praecipiti lapsu revomensque supremam
Ore animam socias inter moribunda cadebat.
Vere autem (dictu mirum!) atque aestate sequenti
Infirmas pecudes balantumque horrida vulgus
Pestis febre mala miserum paene abstulit omne.
Usque adeo varia affecti sunt semina coeli,
Et variae rerum species, numerusque vicissim
Inter mota subest interque moventia certus.
Nonne vides, quamvis oculi sint pectore anhelo
Expositi mollesque magis, non attamen ipsos
Carpere tabem oculos, sed sese immergere in imum
Pulmonem? et pomis quanquam sit mollior uva,
Non tamen iis vitiatur, at ipsa livet ab uva.

Nempe alibi vires alibi sua pabula desunt,
Ast alibi mora certa, nec ipsa foramina multum
Non faciunt, hinc densa nimis nimis inde soluta.
Ergo contagum quoniam natura genusque
Tam varium est, et multa modis sunt semina miris,
Contemplator et hanc, cuius coelestis origo est,
Quae sicut desueta ita mira erupit in auras.
Illa quidem non muta maris turbamque natantum,
Non volucres, non bruta altis errantia silvis,
Non armenta boum pecudesve armentave equorum
Infecit, sed mente vigens ex omnibus unum
Humanum genus, et nostros est pasta sub artus.
Porro homine e toto, quod in ipso sanguine crassum
Et sordens lentore foret foedissima primum
Corripuit sese pascens uligine pingui.
Tali se morbus ratione et sanguis habebant.
Nunc ego te affectus omnes et signa docebo
Contagis miserae: atque utinam concedere tantum
Musa queat tantumque velit defendere Apollo,
Tempora qui longa evolvit, cui carmina curae,
Haec multas monumenta dies ut nostra supersint.
Forte etenim nostros olim legisse nepotes
Et signa et faciem pestis novisse iuvabit.
Nanque iterum, quum fata dabunt labentibus annis,
Tempus erit, quum nocte atra sopita iacebit
Interitu data: mox iterum post saecula longa
Illa eadem exsurget coelumque aurasque reviset,
Atque iterum ventura illam mirabitur aetas.
In primis mirum illud erat, quod labe recepta
Saepe tamen quater ipsa suum compleverat orbem

Luna prius, quam signa satis manifesta darentur.
Scilicet extemplo non sese prodit aperte,
Ut semel est excepta intus, sed tempore certo
Delitet et sensim vires per pabula captat.
Interea tamen insolito torpore gravati,
Sponteque languentes animis et munera obibant
Aegrius et toto segnes se corpore agebant.
Ille etiam suus ex oculis vigor et suus ore
Deiectus color haud laeta de fronte cadebat.
Paulatim caries foedis enata pudendis
Hinc atque hinc invicta locos aut inguen edebat.
Tum manifesta magis vitii se prodere signa.
Nam, simul ac purae fugiens lux alma diei
Cesserat et noctis tristes induxerat umbras,
Innatusque calor noctu petere intima suetus
Liquerat extremum corpus, nec membra fovebat
Obsita mole pigra humorum, tum vellier artus
Brachiaque scapulaeque gravi suraeque dolore.
Quippe, ubi per cunctas ierant contagia venas,
Humoresque ipsos et nutrimenta futura
Polluerant, natura malum secernere sueta
Infectam partem pellebat corpore ab omni
Exterius: verum crasso quia corpore tarda
Haec erat et lentore tenax, multa inter eundum
Haerebat membris exsanguibus atque lacertis,
Inde graves dabat articulis extenta dolores.
Parte tamen leviore magisque erumpere nata,
Summa cutis pulsa et membrorum extrema petebat,
Protinus informes totum per corpus achores
Rumpebant, faciemque horrendam et pectora foede

Turpabant, species morbi nova: pustula summae
Glandis ad effigiem et pituita marcida pingui,
Tempore quae multo non post adaperta dehiscens
Mucosa multum sanie taboque fluebat.
Quin etiam erodens alte et se funditus abdens
Corpora pascebat misere, nam saepius ipsi
Carne sua exutos artus squallentiaque ossa
Vidimus, et foedo rosa ora dehiscere hiatu,
Ora atque exiles reddentia guttura voces.
Ut saepe aut cerasis aut Phyllidis arbore tristi
Vidisti pinguem ex udis manare liquorem
Corticibus, mox in lentum durescere gummi,
Haud secus hac sub labe solet per corpora mucor
Diffluere, hinc demum in turpem concrescere callum.
Unde aliquis ver aetatis pulchramque iuventam
Suspirans et membra oculis deformia torvis
Prospiciens foedosque artus turgentiaque ora,
Saepe Deos saepe astra miser crudelia dixit.
Interea dulces somnos noctisque soporem
Omnia per terras animalia fessa trahebant,
Illis nulla quies aderat, sopor omnis in auras
Fugerat, iis oriens ingrata Aurora rubebat,
Iis inimica dies inimicaque noctis imago.
Nulla Ceres illos, Bachi non ulla iuvabant
Munera, non dulces epulae, non copia rerum,
Non urbis, non ruris opes, non ulla voluptas,
Quamvis saepe amnes nitidos iucundaque Tempe
Et placidas summis quaesissent montibus auras.
Diis etiam sparsaeque preces incensaque templis
Thura et divitibus decorata altaria donis:

Dii nullas audire preces donisve moveri.
Ipse ego Cenomanûm memini qua pinguia dives
Pascua Sebina praeterfluit Ollius unda
Vidisse insignem Iuvenem, quo clarior alter
Non fuit, Ausonia nec fortunatior omni:
Vix pubescentis florebat vere iuventae,
Divitiis proavisque potens et corpore pulchro,
Cui studia aut pernicis equi compescere cursum,
Aut galeam induere, et pictis splendescere in armis,
Aut iuvenile gravi corpus durare palaestra,
Venatuque feras agere et praevertere cervos.
Illum omnes Ollique Deae Eridanique puellae
Optarunt, nemorumque Deae rurisque puellae,
Omnes optatos suspiravere hymenaeos.
Forsan et ultores Superos neglecta vocavit
Non nequicquam aliqua et votis pia Numina movit.
Nam nimium fidentem animis nec tanta timentem
Invasit miserum labes, qua saevior usquam
Nulla fuit, nulla unquam aliis spectabitur annis.
Paulatim ver id nitidum, flos ille iuventae
Disperiit, vis illa animi: tum squallida tabes
Artus (horrendum) miseros obduxit, et alte
Grandia turgebant foedis abscessibus ossa.
Ulcera (proh Divûm pietatem) informia pulchros
Pascebant oculos et diae lucis amorem,
Pascebantque acri corrosas vulnere nares.
Quo tandem infelix fato, post tempore parvo
Aetheris invisas auras, lucemque reliquit.
Illum Alpes vicinae, illum vaga flumina flerunt:
Illum omnes Ollique Deae Eridanique puellae

Fleverunt, nemorumque Deae rurisque puellae,
Sebinusque alto gemitum lacus edidit amne.
Ergo hanc per miseras terras Saturnus agebat
Pestem atrox, nec saeva minus crudelis et ipse
Miscebat Mavors coniunctaque fata ferebat.
Quippe lue hac nascente, putem simul omnia diras
Eumenidas cecinisse fera et crudelia nobis,
Tartareos etiam barathro dira omina ab imo
Excivisse lacus, Stygiaque ab sede laborem,
Pestemque horribilemque famem bellumque necemque.
Dii patrii, quorum Ausonia est sub numine, tuque
Tu Latii, Saturne, pater, quid gens tua tantum
Est merita? an quicquam superest dirique gravisque,
Quod sit inexhaustum nobis? ecquod genus usquam
Aversum usque adeo coelum tulit? ipsa labores
Parthenope dic prima tuos, dic funera regum
Et spolia et praedas, captivaque colla tuorum.
An stragem infandam memorem, sparsumque cruorem
Gallorumque Italûmque pari discrimine, quum iam
Sanguineum, et defuncta virûm defunctaque equorum
Corpora volventem, cristasque atque arma trahentem
Eridanus pater acciperet rapido agmine Tarrum?
Te quoque spumantem et nostrorum caede tumentem,
Abdua, non multo post tempore, te pater idem
Eridanus gremio infelix suscepit, et altum
Indoluit tecum, et fluvio solatus amico est.
Ausonia infelix, en quo discordia priscam
Virtutem et mundi imperium perduxit avitum!
Angulus anne tui est aliquis, qui barbara non sit
Servitia et praedas et tristia funera passus?

Dicite vos nullos soliti sentire tumultus
Vitiferi colles, qua flumine pulcher amoeno
Erethenus fluit et, plenis lapsurus in aequor
Cornibus, Euganeis properat se iungere lymphis.
O patria, o longum felix longumque quieta
Ante alias patria, o Divûm sanctissima tellus,
Dives opum, foecunda viris, laetissima campis
Uberibus, rapidoque Athesi et Benacide lympha,
Aerumnas memorare tuas, summamque malorum
Quis queat et dictis nostros aequare dolores
Et turpes ignominias et barbara iussa?
Abde caput Benace tuo et te conde sub amne,
Victrices nec iam Deus interlabere lauros.
  En etiam ceu nos agerent crudelia nulla
Nec lacrimae planctusve forent, en dura tot inter
Spes Latii spes et studiorum et Palladis illa
Occidit: ereptum Musarum e dulcibus ulnis
Te miserum ante diem crudeli funere, *Marce*
Antoni, aetatis primo sub flore cadentem
Vidimus extrema positum Benacide ripa,
Quam media inter saxa sonans Sarca abluit unda.
Te ripae flevere Athesis, te voce vocare
Auditae per noctem umbrae manesque Catulli,
Et patrios mulcere nova dulcedine lucos.
  Tempestate illa Ausoniam rex Gallus opimam
Vertebat bello et Ligurem ditione premebat,
Parte alia Caesar ferro superabat et igni
Euganeos placidumque Silim Carnumque rebellem:
Et totum luctus Latium moerorque tenebat.

LIBER SECUNDUS.

Nunc age, quae vitae ratio quae cura adhibenda
Perniciem adversus tantam, quid tempore quoque
Conveniat, nostri quae pars est altera coepti,
Expediam et miranda hominum comperta docebo.
Quippe nova quum re attoniti multa irrita primum
Tentassent, tamen angustis solertia maior
In rebus crescensque usu experientia longo
Evicere, datumque homini protendere longe
Auxilia et certis pestem compescere vinclis,
Victorem et sese claras attollere in auras.
Credo equidem et quaedam nobis divinitus esse
Inventa, ignaros fatis ducentibus ipsis.
Nam, quanquam fera tempestas et iniqua fuerunt
Sidera, non tamen omnino praesentia Divûm
Abfuit a nobis placidi et clementia coeli.
Si morbum insolitum si dura et tristia bella
Vidimus et sparsos dominorum caede Penates,
Oppidaque, incensasque urbes subversaque regna
Et templa et raptis temerata altaria sacris,
Flumina deiectas si perrumpentia ripas

Evertere sata et mediis nemora eruta in undis
Et pecora et domini correptaque rura natarunt,
Obseditque inimica ipsas penuria terras:
Haec eadem tamen, haec aetas (quod fata negarunt
Antiquis) totum potuit sulcare carinis
Id pelagi, immensum quod circuit Amphitrite.
Nec visum satis, extremo ex Atlante repostos
Hesperidum penetrare sinus, Prassumque sub Arcto
Inspectare alia praeruptaque littora Rhapti,
Atque Arabo advehere et Carmano ex aequore merces:
Aurorae sed itum in populos Titanidis usque est
Supra Indum Gangemque supra, qua terminus olim
Catygare noti orbis erat, superata Cyambe
Et dites ebeno et felices macere silvae.
Denique et a nostro diversum gentibus orbem
Diversum coelo et clarum maioribus astris
Remigio audaci attigimus ducentibus et Diis.
Vidimus et Vatem egregium, cui pulchra canenti
Parthenope placidusque cavo Sebethus ab antro
Plauserunt umbraeque sacri manesque Maronis,
Qui magnos stellarum orbes cantavit et hortos
Hesperidum coelique omnes variabilis oras.
Te vero ut taceam atque alios quos fama futura
Post mutos cineres quos et venientia saecla
Antiquis conferre volent, at, Bembe, tacendus
Inter dona Deûm nobis data non erit unquam
Magnanimus Leo, quo Latium quo maxima Roma
Attollit caput alta, paterque ex aggere Tibris
Assurgit Romaeque fremens gratatur ovanti.
Cuius ab auspiciis iam nunc mala sidera mundo

Cessere, et laeto regnat iam Iupiter orbe,
Puraque pacatum diffundit lumina coelum:
Unus, qui aerumnas post tot longosque labores
Dulcia iam profugas revocavit ad otia Musas,
Et leges Latio antiquas rectumque piumque
Restituit: qui iusta animo iam concipit arma
Pro re Romana pro relligione Deorum,
Unde etiam Euphrates etiam late ostia Nili
Et tantum Euxini nomen tremit unda refusi,
Atque Aegaea suos confugit Doris in Isthmos.
Ergo, alii dum tanta canent dumque illius acta
Inclyta component, dum forte accingeris et tu
Condere et aeternis victurum intexere chartis:
Nos, quos fata vocant haud tanta ad munera, lusus
Inceptos quantum tenuis fert Musa sequamur.
Principio quoniam affecti non sanguinis una
Est ratio, tibi sit morbo spes maior in illo,
Sanguine qui insedit puro: verum, quibus atra
Bile tument spissoque resultant sanguine venae,
Maior in iis labor est pestisque tenacius haeret.
Quare opcrae pretium est validis atque acribus uti
Omnibus hos contra, miseris nec parcere membris.
Quin etiam meliora sibi promittere cuncta
Ille potest, qui principiis novisse sub ipsis
Serpentem tacite valuit per viscera labem.
Nanque, ubi pasta diu vires per pabula longa
Auxerit et iam se vitium firmaverit intra,
Heu quanto tibi libertas speranda labore est!
Ergo omnem impendes operam te opponere parvis
Principiis, memorique animo haec praecepta reconde.

In primis ego non omni te assuescere coelo
Exhorter: fuge perpetuo quod flatur ab austro,
Quod coeno immundaeque grave est sudore paludis.
Protenti potius campi mihi liber et agri
Tractus et apricis placeant in collibus aurae
Et molles zephyri pulsusque aquilonibus aër.
Hic (iubeo) tibi nulla quies nulla otia sunto.
Rumpe moras, agita assiduis venatibus apros
Impiger, assiduis agita venatibus ursos.
Nec tibi sit labor aërii cursu ardua montis
Vincenti rapidum in valles deflectere cervum,
Et longa lustrare altos indagine saltus.
Vidi ego saepe malum qui iam sudoribus omne
Finisset silvisque luëm liquisset in altis.
Sed nec turpe puta dextram summittere aratro
Et longum trahere incurvo sub vomere sulcum,
Neve bidente solum et duras proscindere glebas
Et valida aëriam quercum exturbare bipenni,
Atque imis altam eruere ab radicibus ornum.
Quin etiam, exercere domi quo te quoque possis,
Parvam mane pilam versa mihi vespere versa,
Et saltu et dura potes exsudare palaestra.
Vince malum: nec te fallat, quod desidis otii
Assidue desiderium lectique sequetur,
Tu lecto ne crede, gravi ne crede sopori:
His alitur vitium et placidae sub imagine pacis
Decipit e dulcique trahit fomenta quiete.
Nec non interea effugito quae tristia mentem
Sollicitant, procul esse iube curasque metumque
Pallentem ultricesque iras omnemque Minervae

Addictum studiis animum, sed carmina sed te
Delectent iuvenumque chori mixtaeque puellae.
Parce tamen Veneri mollesque ante omnia vita
Concubitus, nihil est nocuum magis, odit et ipsa
Pulchra Venus tenerae contagem odere puellae.
Quod sequitur, victus ratio tibi maxima habenda est,
Nec sit cura tibi, neve observantia maior.
Principio quoscunque amnes quoscunque paludes
Quosque lacus liquidi pascunt quosque aequora pisces,
Omne genus procul amoveo. Sunt quos tamen usus
Liberius, quum res cogit, concedere possit.
Omnibus his est alba caro non dura tenaxque,
Quos petrae et fluviorum adversa marisque fatigant:
Tales nant pelago phycides, rutilaeque per undas
Auratae, gobiique et amantes saxea percae,
Talis dulcifluûm fluviorum scarus ad ora
Solus saxa inter depastas ruminat herbas.
Sed neque, quae stagnis volucres quaeque amnibus altis
Degere amant liquidisque cibum perquirere in undis
Laudarim: tibi pinguis anas, tibi crudior anser
Vitetur, potiusque vigil Capitolia servet,
Viteturque gravi coturnix tarda sagina.
Tu teneros lactes, tu pandae abdomina porcae,
Porcae heu terga fuge et lumbis ne vescere aprinis,
Venatu quamvis toties confeceris apros.
Quin neque te crudus cucumis, non tubera captent,
Neve famem cinara bulbisve salacibus exple.
Non placeat mihi lactis amor, non usus aceti,
Non fumosa mero spumantia pocula Baccho,
Quales Cyrnaei colles campique Falerni

Et Pucinus ager mittunt, aut qualia nostris
Rhaetica dat parvo de collibus uva racemo.
Nempe Sabina magis placeant, dilutaque tellus
Quae tulit et multo domuerunt Naiades amne.
At, tibi si ex horto victus mensaeque Deorum
Sunt animo atque olerum simplex et inemta voluptas,
Non menthae virides, non laeta sisymbria desunt,
Intybaque, et toto florentes frigore sonchi,
Et sia fontanis semper gaudentia rivis,
Et thymbrae suaves et odoriferae calaminthae:
Laeta meliphylla, et riguo buglossus ab horto
Carpantur, plenisque ferax erucula palmis
Atque olus, atque rumex, et salsi gramina crithmi,
Ipsa lupum dumeta ferent, hinc collige primos
Asparagos, albae asparagos hinc collige vitis,
Quum nondum explicuit ramos umbracula nondum
Texuit et virides iussit pendere corymbos.
Singula sed longum est nec percensere necesse,
Iamque aliud vocor ad munus: iuvat in nova Musas
Naturae nemora Aoniis deducere ab umbris,
Unde mihi si non e lauro intexere fronti
Serta volent tantaque caput cinxisse corona,
At saltem ob servata hominum tot millia dignum
Censuerint querna redimiri tempora fronde.
Vere novo si quem morbus tenet aut et in ipso
Autumno, si firma aetas, si sanguis abundat,
Regalem mediamve lacerti incidere venam
Proderit atque extra foedatum haurire cruorem.
Praeterea, quocunque habeat te tempore pestis,
Corruptum humorem et contagem educere turpem

Ne pigeat, facilique luem deponere ab alvo.
Ante tamen ducenda para, concreta resolve,
Et crassa attenua et lentore tenacia frange.
Ergo Coryciumque thymum sit cura, thymumque
Pamphylium, thymbrae similis qui durior exit,
Prima tibi coxisse, lupique volubile gramen,
Foeniculumque, apiumque, et amari germina capni.
His polyporum hirtos imitata filicula cirros
Additur, et lymphis tangi renuens adiantus,
His sterile asplenum, his pictam phyllitida iunge:
Quorum ubi decoctum permultis ante diebus
Ebiberis, crudumque humorem incoxeris omnem,
Tum scilla medicare acri, et colocynthide amara,
Helleboroque gravi, nec non, quae in littore surgens
Qua ludit maris unda ter evariata colorem
Ter flores mutata die rem nomine signat,
Herba potens radice, suum cui zinziber adde:
Adde etiam anguineum cucumin, Nabathaeaque thura,
Myrrhamque, bdelamque, hammoniacique liquorem,
Et lacrimam panaceam et dulci Colchica bulbo.
His actis, si forte tibi frigentia corda
Et molles animi fuerint, nec acerba placebit
In primis tentare brevique extinguere pestem,
Sed placidis agere et per tempora lenibus uti:
Tum superest tibi cura animum ad fomenta relicta
Vertere contagisque ad tenuia semina coecae
Illa quidem consueta modis inserpere miris.
Profuerint igitur, quaeque exsiccantia quaeque
Marcori resinosa solent obsistere putri.
Tales sunt myrrhae lacrimae, sunt talia thura,

Cedrusque, aspalathusque immortalisque cupressus,
Et bene cum calamo spirans redolente cyperus.
Ergo nec desint casiae, nec desit amomum,
Macerve agallocumve tibi, nec cinnama odora.
Est etiam in pratis illud iuxtaque paludes
Scordion, omnigenis quod tantum obstare venenis
Contagique solet, parvo quaerenda labore
Herba tibi, viret ipsa comis imitata chamaedryn
Flore rubens referensque allii cum voce saporem.
Aurora nascente huius frondemque comantem
Radicesque coque atque haustu te prolue largo.
Sed neque carminibus neglecta silebere nostris,
Hesperidum decus et Medarum gloria, citre,
Silvarum: si forte sacris cantata poëtis
Parte quoque hac medicam non dedignabere Musam,
Sic tibi sit semper viridis coma semper opaca
Semper flore novo redolens, sis semper onusta
Per viridem pomis silvam pendentibus aureis.
Ergo ubi nitendum est coecis te opponere morbi
Seminibus, vi mira arbor Cithereia praestat,
Quippe illum Citherea suum dum plorat Adonim
Munere donavit multo et virtutibus auxit.
Quorundam inventum est, vitrei intra concava vasis,
Cui collum oblongum est venter turgescit in orbem,
Aut hederae folia, aut Ida mittente maniplos
Dictamni, Illyricamve irim, rhamnive nigrantem
Radicem, aut inulas coquere: in sublime solutus
Effertur vapor et tenuis vacua omnia complet.
Ast ubi frigenti occursavit ab aëre vitro
Cogitur et rorem liquidus densatur in udum,

Decurritque vagis per aperta canalia rivis.
Destillantis aquae cyathum sub lumina prima
Luciferi potare iubent stratisque parare
Sudorem, nec certe ab re: vis utilis olli est
Relliquias morbi tenues dispergere in auras.
Interea, si membra dolor convulsa malignus
Torqueat, oesypo propera lenire dolorem
Mastichinoque oleo, lentum quibus anseris unguen
Emulsumque potes lini de semine mucum,
Narcissumque, inulamque, liquentiaque addere mella,
Coryciumque crocum, et vilem componere amurcam,
At fauces atque ora malus si eroserit herpes,
Tange nitro, et viridi medicata aerugine lympha
Semina inure mala et serpentem interfice pestem.
Verum ipsos ope non alia consumere achores
Urentum quam vi poteris, quibus addere debes
Pingue aliquid, quod secum intus siccantia portet.
Haec eadem et miseros artus si qua ulcera pascunt
Tollere, concretosque valebunt solvere callos.
Si vero aut haec nequicquam tentasse videbis
Aut vires animique valent ad fortia quaeque,
Nec differre cupis. quin te committere acerbis
Festines diramque brevi consumere pestem:
Hinc alia inventa expediam, quae tristia quanto
Sunt magis hoc tanto citius finire labores
Aerumnasque mali poterunt, quippe effera labes
Inter prima tenax et multo fomite vivax
Nedum se haud vinci placidis et mitibus at nec
Tractari sinit, et mansuescere dura repugnat.
Sunt igitur styracem in primis qui, cinnabarimque

Et minium, et stimmi agglomerant et thura minuta,
Quorum suffitu pertingunt corpus acerbo,
Absumuntque luem miseram et contagia dira.
At vero et partim durum est medicamen et acre
Partim etiam fallax, quo faucibus angit in ipsis
Spiritus eluctansque animam vix continet aegram.
Quocirca totum ad corpus nemo audeat uti
Iudice me: certis fortasse erit utile membris
Quae papulae informes Chironiaque ulcera pascunt.
  Argento melius persolvunt omnia vivo
Pars maior, miranda etenim vis insita in illo est:
Sive quod id natum est subito frigusque caloremque
Excipere, unde in se nostrum cito contrahit ignem,
Quodque est condensum humores dissolvit agitque
Fortius, ut candens ferrum flamma acrius urit:
Sive acres, unde id constat compagine mira,
Particulae nexuque suo vinclisque solutae
Introrsum ut potuere seorsum in corpora ferri,
Colliquant concreta et semina pestis inurunt:
Sive aliam vim fata illi et natura dedere.
Cuius et inventum medicamen munere Divûm
Digressus referam. Quis enim admiranda Deorum
Munera praetereat? Syriae nam forte sub altis
Vallibus umbrosi nemora inter glauca salicti,
Callirhoë qua fonte sonans decurrit amoeno,
Fama est cultorem Diis sacri agrestibus horti
Cultorem nemorum sectatoremque ferarum,
Ilcea labe gravem tanta, dum molle cyperum,
Et casiam, et silvam late fragrantis amomi
Irrigat, haec orasse Deos et talia fatum:

Dii, quos ipse diu colui, tuque optima tristes
Callirhoë quae sancta soles depellere morbos,
Cui nuper ramosa ferens ego cornua cervi
Aëria victor fixi capita horrida quercu:
Dii, mihi crudelem misero si tollere pestem
Hanc dabitis, quae me afflictat noctesque diesque,
Ipse ego purpureas ipse albas veris et horti
Primitias vobis violas ego lilia vobis
Alba legam, primasque rosas primosque hyacinthos,
Vestraque odoratis onerabo altaria sertis!
Gramen erat iuxta viridans, sic fatus ut aestu
Fessus erat viridi desedit graminis herba.
Hic Dea, vicino quae sese fonte lavabat,
Callirhoë liquido ex antro per lubrica musco
Saxa fluens, iuveni dulci blandita susurro
Lethaeum immisit somnum, sparsitque sopore
Graminea in ripa et salicum nemus inter opacum.
Atque illi visa est sacro se flumine tollens
In somnis coram esse, pia et sic voce locuta:
Ilceu, in extremo Diis tandem audite labore,
Cura mei, tibi nulla salus quacunque videt Sol
Speranda est terram magnam super. Hoc tibi poenae
Dat Trivia et precibus Triviae exoratus Apollo,
Ob sacrum iaculo percussum ad flumina cervum
Et nostris affixa tibi capita horrida truncis.
Nam, postquam illa feram exanimem per gramina vidit
Abscisso capite et sacro sparsa arva cruore,
Omnibus ingemuit silvis dirumque precata est
Auctori. Oranti Latous tanta sorori
Affuit et pestem misero immisere nefandam

Durus uterque tibi: quin et quacunque videt Sol
Interdixit opem, quare tellure sub ima,
Si qua salus superest, coeca sub nocte petenda est.
Est specus arboribus tectum atque horrore verendum
Vicina sub rupe, Iovis qua plurima silva
Accubat et raucum reddit coma cedria murmur.
Huc, ubi se primis Aurora emittet ab undis,
Ire para et nigrantem ipsis in faucibus agnam
Mactato supplex atque, Ops tibi maxima, dic, hanc,
Dic, ferio. Nigram tum Noctem umbrasque silentes
Umbrarumque Deos ignotaque numina Nymphas
Et thya venerare atrae et nidore cupressi.
Hic tibi narranti causam auxiliumque vocanti
Haud aberit Dea, quae coecae in penetralia terrae
Deducat te sancta et opem tibi sedula praestet.
Surge age nec vani speciem tibi concipe somni,
Illa ego sum quae culta vago per pinguia fonte
Dilabor Dea vicinis tibi cognita ab undis.
Sic ait et se caeruleo cita condidit amne.
Ille autem, ut placidus cessit sopor, omina laetus
Accipit et Nympham precibus veneratur amicam.
O sequor, o quocunque vocas, pulcherrima fontis
Vicini Dea Callirhoë! Tum, postera primum
Exsurgens Aurora suos ubi protulit ortus,
Monstratum Iovis in silva sub rupibus altis
Antrum ingens petit et nigrantem tergora primo
Vestibulo sistit pecudem magnaeque trementem
Mactat Opi: tibique, inquit, ego hanc Ops maxima macto.
Tum Noctem Noctisque Deas ignota precatur
Numina, iamque simul thyan atramque cupressum

Urebat, quum vox terrae revoluta cavernis
Longe audita sacras Nympharum perculit aures,
Nympharum quibus aera solo sunt condita curae.
Extemplo commotae omnes ac coepta reponunt:
Sulfureos forte ut latices et flumina vivi
Argenti, mox unde nitens concresceret aurum,
Tractabant, gelidoque prementes fonte coquebant.
Centum ignis spissi radios centum aetheris usti
Bis centum concretorum terraeque marisque
Miscuerant nostros fugientia semina visus.
At Lipare, Lipare, argenti cui semina et auri
Cura data et sacrum flammis adolere bitumen,
Continuo obscurae latebrosa per avia terrae
Ilcea adit firmansque animum sic incipit ipsa:
Ilceu (nanque tuum nec nomen nec mihi labes
Ignota est, nec quid venias), iam corde timorem
Exue, nequicquam non te huc carissima mittit
Callirhoë, tibi parta salus tellure sub ima est.
Tolle animos et me per opaca silentia terrae
Insequere: ipsa adero et praesenti numine ducam.
Sic ait et se antro gradiens praemittit opaco.
Ille subit magnos terrae miratus hiatus
Squallentesque situ aeterno et sine lumine vastas
Speluncas terramque meantia flumina subter.
Tum Lipare: hoc quodcunque patet quam maxima terra
Hunc totum sine luce globum, loca subdita nocti [est,
Dii habitant: imas retinet Proserpina sedes,
Flumina supremas quae sacris concita ab antris
In mare per latas abeunt resonantia terras,
In medio dites Nymphae, genera unde metalli,

Aerisque argentique aurique nitentis origo,
Quarum ego nunc ad te miserans ipsa una sororum
Advenio, illa ego, quae venas per montis hiantes,
Callirhoae haud ignota tuae, fumantia mitto
Sulfura. Sic ibant terra et caligine tecti.
Iamque exaudiri crepitantes sulfure flammae
Conclusique ignes stridentiaque aera caminis.
Haec regio est late variis ubi foeta metallis,
Virgo ait, est tellus, quorum vos tanta cupido
Exercet superas coeli qui cernitis auras.
Haec loca mille Deae coecis habitamus in antris,
Nocte Deae et Tellure satae, quîs munera mille
Mille artes. Studium est aliis deducere rivos,
Scintillas aliis rimari et sparsa per omnem
Semina tellurem flammarum ignisque corusci.
Materiam miscent aliae massamque coërcent
Obicibus multa et gelidarum inspergine aquarum.
Non procul eruptis fumantia tecta caminis
Aetnaei Cyclopes habent, versantque coquuntque
Vulcano stridente atque aera sonantia cudunt,
Laeva haec abstrusum per iter via ducit ad illos.
Dextera sed sacri fluvii te sistet ad undam,
Argento fluitantem undam vivoque metallo,
Unde salus speranda. Et iam aurea tecta subibant
Rorantesque domos spodiis, fuligineque atra
Speluncas varie obductas et sulfure glauco,
Iamque lacus late undantes liquidoque fluentes
Argento iuxta astabant ripasque tenebant.
Hic tibi tantorum requies inventa laborum,
Subsequitur Lipare, postquam ter flumine vivo

Perfusus sacra vitium omne reliqueris unda.
Sic fatur, simul argenti ter fonte salubri
Perfundit, ter virgineis dat flumina palmis
Membra super, iuvenem toto ter corpore lustrat
Mirantem exuvias turpes et labe maligna
Exutos artus pestemque sub amne relictam.
Ergo age, quum primum coeli te purior aër
Accipiet nitidamque diem solemque videbis,
Sacra para et castam supplex venerare Dianam
Indigenasque Deos et Numina fontis amici.
Sic virgo, et iuvenem tanto pro munere grates
Solventem e nocte aetherias educit in oras
Dimittitque alacrem atque optata in lumina reddit.
Accepit nova fama fidem populosque per omnes
Prodiit haud fallax medicamen, coeptaque primum
Misceri argento fluitanti axungia porcae.
Mox etiam Oriciae simul adiuncta est terebinthi
Et laricis resina aëriae. Sunt qui unguen equinum
Ursinumve adhibent bdelae cedrique liquorem.
Nonnulli et myrrhae guttas et mascula thura
Adiiciunt miniumque rubens et sulfura viva.
Haud vero mihi displiceat, componere si quem
Trita melampodia atque arentem iuverit irim,
Galbanaque et lasser graveolens, oleumque salubre
Lentisci, atque oleum haud experti sulfuris ignem.
His igitur totum oblinere atque obducere corpus
Ne obscoenum ne turpe puta: per talia morbus
Tollitur et nihil esse potest obscoenius ipso.
Parce tamen capiti et praecordia mollia vita.
Tum super et vittas adstringe et stuppea necte

Vellera, dein stratis tegmento imponere multo
Dum sudes foedaeque fluant per corpora guttae.
Haec tibi bis quinis satis est iterasse diebus:
Durum erit, at quicquid tulerit res ipsa ferendum est.
Aude animis, tibi certa salus stans limine in ipso
Signa dabit: liquefacta mali excrementa videbis
Assidue sputo immundo fluitare per ora,
Et largum ante pedes tabi mirabere flumen.
Ora tamen foeda erodent ulcuscula, sed tu
Lacte fove et cocto cytini, viridisque ligustri.
Tempore non alio generosi pocula Bacchi
Annuerim sumenda tibi, purumque Falernum,
Et Chia, et pateris spumantia Rhaetica largis.
Sed iam age vicinae victor gratare saluti:
Ultima adest tibi cura eadem et placidissima, corpus
Abluere et lustrare artus ac membra piare
Stoechade, amaracinisque comis, et rore marino,
Verbenaque sacra, et bene olentibus heracleis.

LIBER TERTIUS.

Sed iam me nemora alterius felicia mundi
Externique vocant saltus, longe assonat aequor
Herculeas ultra metas et littora longe
Applaudunt semota. Mihi nunc magna Deorum
Munera et ignoto devecta ex orbe canenda
Sancta arbos, quae sola modum requiemque dolori
Et finem dedit aerumnis. Age Diva beatum
Uranie venerare nemus, crinesque revinctam
Fronde nova iuvet in medica procedere palla
Per Latium et sanctos populis ostendere ramos:
Et iuvet haud unquam nostrorum aetate parentum
Visa prius nullive unquam memorata referre.
Unde aliquis forsan, novitatis imagine mira
Captus et heroas et grandia dicere facta
Assuetus, canat auspiciis maioribus ausas
Oceani intacti tentare pericula puppes,
Nec non et terras varias et flumina et urbes
Et varias memoret gentes et monstra reperta,
Dimensasque plagas alioque orientia coelo
Sidera et insignem stellis maioribus Arcton

Nec taceat nova bella omnemque illata per orbem
Signa novum et positas leges et nomina nostra,
Et canat (auditum quod vix venientia credant
Saecula) quodcunque Oceani complectitur aequor
Ingens omne una obitum mensumque carina.
Felix, cui tantum dederit Deus, at mihi vires
Arboris unius satis est usumque referre,
Et quo inventa modo fuerit nostrasque sub auras
Advena per tantum pelagi pervenerit aequor.
Oceano in magno ardenti sub sidere Cancri,
Sol ubi se nobis media iam nocte recondit,
Hac ignota tenus tractu iacet insula longo,
Hispanam gens inventrix cognomine dixit:
Auri terra ferax sed longe ditior una
Arbore: voce vocant patrii sermonis Hyacum.
Ipsa teres ingensque ingentem vertice ab alto
Diffundit semper viridem semperque comantem
Arbuteis silvam foliis, nux parva sed acris
Dependet ramis et plurima frondibus haeret.
Materia indomita est, duro et paene aemula ferro
Robora, quae resinam sudant incensa tenacem.
Dissectae color haud simplex, in cortice lauri
Exteriore viret levor, pars altera pallet
Buxea, at interior nigro suffusca colore est
Iuglandemque ebenumque inter, quod si inde ruberet,
Iam poterat variis aequare coloribus irim.
Hanc gens illa colit studioque educere multo
Nititur, hac late colles campique patentes
Hac omnis vestitur ager, nec sanctius illis
Est quicquam aut potiore usu: quippe omnis in illa

Spes iacet hanc contra pestem quae coelitus illic
Perpetua est. Validos abiecto cortice ramos
Multa vi tundunt aut in segmenta minuta
Elimant, puroque scobes in fonte reponunt,
Dum bibulas noctemque diemque emaceret humor,
Inde coquunt: nec non illos ea cura fatigat,
Vulcano ne forte furens erumpat aquae vis
Et superundantem spumam proiectet in ignes.
Spuma quippe linunt, si quicquam e corpore toto
Abscedit, si quicquam aegros depascitur artus.
Dimidia absumta superest quodcunque reponunt
Divini laticis. Quin et segmenta relicta
Rursus ut ante coquunt addentes suaveliquens mel.
Scilicet hunc unum mensis accedere potum
Et lex ipsa iubet gentis mandatque sacerdos.
Servatum at laticem et decocti pocula primi
Bina die quaque assumunt, quum surgit ab ortu
Lucifer et sero egreditur quum Vesper Olympo.
Nec prius absistunt potu, quam menstrua cursum
Luna suum et totum peragrans perfecerit orbem
Fraternasque iterum convenerit aemula bigas.
Interea coecis sese penetralibus abdunt,
Quo neque vis venti non halitus aëris ullus
Insinuet sese et gelidis afflatibus obsit.
Quid mirandum aeque memorem, super omnia victum
Quam tenuem quam magna sibi ieiunia poscant?
Quippe solet satis esse, ipsum dum corpus alatur
Dum superet vita et tantum ne membra fatiscant.
Ne tamen ah ne tanta time, sacer ilicet haustus
Ille modo ambrosiae vires reficitque fovetque

Inque occulta gerit ieiunis pabula membris.
Nectare ab epoto binas non amplius horas
Imponunt sese stratis, medicamen ut intro
Large eat et calido sudorem e corpore ducat.
Interea vacuas pestis vanescit in auras,
Et (dictu mirum) apparet iam pustula nulla,
Iamque nomae cessere omnes, iam fortia liquit
Membra dolor, primoque redit cum flore iuventa:
Et iam Luna suum remeans nova circuit orbem.
Quis Deus hos illis populis monstraverit usus,
Qui demum et nobis casus aut fata tulere
Hos ipsos, unde et sacrae data copia silvae,
Nunc referam. Missae quaesitum abscondita Nerei
Aequora in occasum Solisque cubilia pinus
Littoribus longe patriis Calpeque relictis
Ibant oceano in magno pontumque secabant,
Ignaraeque viae et longis erroribus actae.
Quas circum innumerae properantes gurgite ab omni
Ignoti nova monstra maris Nereides udae
Adnabant celsas miratae currere puppes
Salsa super pictis volitantes aequora velis.
Nox erat et puro fulgebat ab aethere Luna
Lumina diffundens tremuli per marmora ponti,
Magnanimus quum tanta heros ad munera fatis
Delectus dux errantis per caerula classis
Luna, ait, o pelagi cui regna haec humida parent,
Quae bis ab aurata curvasti cornua fronte,
Curva bis explesti, nobis errantibus ex quo
Non ulla apparet tellus, da littora tandem
Aspicere et dudum speratos tangere portus,

Noctis honos coelique decus Latonia virgo.
Audiit orantem Phoebe, delapsaque ab alto
Aethere se in faciem mutat, Nereia quali
Cymothoë Clothoque natant, iuxtaque carinam
Astitit et summo pariter nans aequore fatur:
Ne nostrae dubitate rates, lux crastina terras
Ostendet fidoque dabit succedere portu.
Sed vos littoribus primis ne insistite, dudum
Ultra fata vocant: medio magna insula ponto
Est Ophyre, huc iter est vobis hic debita sedes
Imperiique caput. Simul haec effata carinam
Impulit, illa levi cita dissecat aequora cursu.
Aspirant faciles aurae, et iam clarus ab undis
Surgebat Titan, humiles quum surgere colles
Umbrosi procul et propior iam terra videri
Incipit. Acclamant nautae terramque salutant
Terram exoptatam. Tum portu et littore amice
Excepti, Diis vota piis in littore solvunt,
Quassatasque rates defessaque corpora curant.
Inde ubi quarta dies pelago crepitansque vocavit
Vela Notus, remis insurgitur, altaque rursum
Corripiunt maria et laeti freta caerula sulcant.
Linquitur incerto fluitans Anthylia ponto,
Atque Hagia, atque alta Ammerie, execrataque tellus
Cannibalum, et ripa Gyane nemorosa virenti.
Protinus innumerae panduntur turribus altis
Insulae oceano in vasto, quas inter opacis
Undantem silvis unam cursuque sonantem
Fluminis aspiciunt, magno qui spumeus alveo
In mare fulgentes auro subvectat arenas.

Huius in ora placet pronas appellere puppes,
Invitant nemora et dulces e flumine lymphae.
Iamque solo viridante alacres ripaque potiti
In primis terram ignotam Nymphasque salutant
Indigenas, Geniumque loci, teque aurifer Amnis
Quisquis in arva maris nitida perlaberis unda.
Tum duram Cererem et patrii carchesia Bacchi
Aggere in herboso expediunt, dein quaerere si qui
Mortales habitent, pars fulvam fluminis undam
Mirari mixtamque auro disquirere arenam.
Forte per umbrosos silvarum plurima ramos
Assidue volitabat avis, quae picta nitentes
Caeruleo pennas rostro variata rubenti
Ibat nativo secura per avia luco.
Has iuvenum manus ut silvas videre per altas
Continuo cava terrificis horrentia bombis
Aera et flammiferum tormenta imitantia fulmen
Corripiunt, Vulcane tuum, dum Theutonas armas
Inventum dum tela Iovis mortalibus affers.
Nec mora, signantes certam sibi quisque volucrem,
Inclusam, salicum cineres sulfurque nitrumque,
Materiam accendunt servata in reste favilla.
Fomite correpto diffusa repente furit vis
Ignea circumsepta simulque cita obice rupto
Intrusam impellit glandem, volat illa per auras
Stridula, et exanimes passim per prata iacebant
Deiectae volucres: magno micat ignibus aër
Cum tonitru quo silva omnis ripaeque recurvae
Et percussa imo sonuerunt aequora fundo.
Pars avium nemus in densum conterrita et altos

Se recipit scopulos, quorum de vertice summo
Horrendum una canit (dictu mirabile) et aures
Terrificis implet dictis ac talibus infit:
Qui Solis violatis aves sacrasque volantes
Hesperii, nunc vos quae magnus cantat Apollo
Accipite et nostro vobis quae nuntiat ore:
Vos quanquam ignari longum quaesita secundis
Tandem parta Ophyrae tetigistis littora ventis,
Sed non ante novas dabitur summittere terras
Et longa populos in libertate quietos
Molirique urbes ritusque ac sacra novare,
Quam vos infandos pelagi terraeque labores
Perpessi diversa hominum post proelia multi
Mortua in externa tumuletis corpora terra,
Navibus amissis pauci patria arva petetis,
Frustra alii socios quaeretis magna remensi
Aequora, nec nostro deerunt Cyclopes in orbe.
Ipsa inter sese vestras discordia puppes
In rabiem ferrumque trahet, nec sera manet vos
Illa dies foedi ignoto quum corpora morbo
Auxilium silva miseri poscetis ab ista,
Donec poeniteat scelerum. — Nec plura locuta
Horrendum stridens densis sese abdidit umbris.
   Ollis ossa rigor subitus percurrit et omnis
Palluit ac gelida fugit formidine sanguis.
Tum vero sacras volucres Divosque precati,
In primis Solem et sanctum servantia lucum
Numina supplicibus venerantur agrestia votis:
Pacem orant rursumque Ophyren fluviumque salutant.
Interea e silvis nigrum genus ora comasque

Ad naves nova turba virûm concurrit inermis,
Pectora nudi omnes evincti frondibus omnes
Paciferis: tanta qui celsas mole carinas
Mirati vestesque virûm fulgentiaque arma
Vix satis expleri possunt, et ab aethere missi
Sive homines sive heroes sint sive Deorum
Numina adorantum ritu precibusque salutant:
Ante alios ipsum regem, cui munera laeta,
E ripis collectum aurum et cerealia dona
Et patrios fructus et mella liquentia portant.
Vestibus ipsi etiam nostris et munere multo
Donati exceptique mero nova gaudia miscent.
Non aliter, quam si mensis dapibusque Deorum
Mortalis quisquam adscitus felixque futurus
Hauriat aeternum coelestia pocula nectar.
Ergo, ubi amicitiae securos foedere utrinque
Firmavere animos, habita et commercia gentis,
Ipsi inter sese reges in littore laeti
Complexu iungunt dextras et foedera firmant.
Alter gossipio tenui pectusque femurque
Praecinctus, viridi limbum pingente smaragdo,
Ora niger, iaculo armatur cui dextera acuto
Squamosi spolium sustentat laeva draconis.
Alter at intexto laenam circumdatus auro,
Quam subter rutila arma micant, capiti aerea cassis
Insidet et pictae volitant in vertice cristae,
Fulgenti ex auro torques cui candida colla
Cingunt atque ensis lateri dependet Iberus.
Et iam commixti populi hospitioque recepti,
Hi tectis domibusque altis in navibus illi,

Laetitia ludisque dies per pocula ducunt.
Forte loco lux festa aderat, Solique parabant
Ultori facere umbroso sacra annua luco,
Hesperiaeque Ophyraeque manus convenerat omnis.
Hic convalle cava ripae viridantis in herba
Selectorum ingens numerus, matresque virique
Confusi plebs atque patres puerique senesque
Astabant, animis tristes et corpora foedi
Squallentes crustis omnes taboque fluentes,
Quos circumfusos albenti in veste sacerdos
Pura lustrat aqua et ramo frondentis Hyaci.
Tum niveum ante aras caedit de more iuvencum
Et iuxta positum pastorem sanguine caesi
Respergit pateraque rigat, Solique potenti
Ad numeros Paeana canit, nec cetera turba
Non sequitur, mactantque sues mactantque bidentes
Visceribusque veru tostis epulantur in herba.
Obstupuit gens Europae ritusque sacrorum
Contagemque alio non usquam tempore visam.
At dux multa animo tacitus secum ipse volutans,
Hic erat ille, inquit, morbus (Dii avertite casum!)
Ignotum interpres Phoebi quem dira canebat.
Tum regem indigenam (ut sermo fandique facultas
Iam communis erat) cui sint solennia Divûm
Scitatur, quid tanta astet convalle sub alta
Languentum miseranda manus, quid pastor ad aras
Sacra inter caesi respersus sanguine tauri.
Quem contra: Hesperiae o heros fortissime pubis,
Rex ait, hi gentis ritus haec sacra quotannis
Ultori de more Deo celebramus, origo

Antiqua est veteresque patrum fecere parentes.
Quod si externorum mores hominumque labores
Audivisse iuvat, primaeva ab origine causam
Sacrorum et pestis miserae primordia pandam.
Forsitan Atlantis vestras pervenit ad aures
Nomen et ex illo generis longo ordine ducti.
Hac et nos longa serie de stirpe profecti
Dicimur, heu quondam felix et cara Deûm gens,
Dum coelum colere et Superis accepta referre
Maiores suevere boni, sed numina postquam
Contemni coeptum est luxu fastuque nepotum
Ex illo quae sint miseros quantaeque secutae
Aerumnae, vix fando unquam comprendere possem.
Insula tum prisci regis de nomine dicta
Ingenti terrae concussa Atlantia motu
Corruit absorpta Oceano, quem mille carinis
Sulcavit toties terrae regina marisque.
Ex illo et pecudes et grandia quadrupedantum
Corpora non ullis unquam reparata diebus
Aeternum periere: externaque victima sacris
Caeditur, externus nostras cruor imbuit aras.
Tum quoque et haec infanda lues, quam nostra videtis
Corpora depasci, quam nulli aut denique pauci
Vitamus, Divûm offensis et Apollinis ira
De coelo demissa omnes grassatur in urbes.
Unde haec sacra novo primum solennia ritu
Instituere patres, quorum haec perhibetur origo:
Syphilus (ut fama est) ipsa haec ad flumina pastor
Mille boves niveas mille haec per pabula regi
Alcithoo pascebat oves, et forte sub ipsum

Solstitium urebat sitientes Sirius agros,
Urebat nemora et nullas pastoribus umbras
Praebebant silvae, nullum dabat aura levamen.
Ille gregem miseratus et acri concitus aestu
Sublimem in Solem vultus et lumina tollens,
Nam quid Sol te, inquit, rerum patremque Deumque
Dicimus et sacras vulgus rude ponimus aras,
Mactatoque bove et pingui veneramur acerra,
Si nostri nec cura tibi est nec regia tangunt
Armenta? an potius Superos vos arbitrer uri
Invidia? mihi mille nivis candore iuvencae
Mille mihi pascuntur oves: vix est tibi Taurus
Unus, vix Aries coelo (si vera feruntur)
Unus, et armenti custos Canis arida tanti.
Demens quin potius regi divina facesso,
Cui tot agri tot sunt populi, cui lata ministrant
Aequora et est Superis ac Sole potentia maior?
Ille dabit facilesque auras frigusque virentum
Dulce feret nemorum armentis, aestumque levabit.
Sic fatus, mora nulla, sacras in montibus aras
Instituit regi Alcithoo et divina facessit.
Hoc manus agrestum hoc pastorum caetera turba
Exsequitur, dant thura focis incensa litantque
Sanguine taurorum et fumantia viscera torrent.
Quae postquam rex, in solio dum forte sederet
Subiectos inter populos, turbamque frequentem
Agnovit, Divûm exhibito gavisus honore,
Non ullum tellure coli se vindice Numen
Imperat, esse nihil terra se maius in ipsa:
Coelo habitare Deos, nec eorum hoc esse quod infra est.

Viderat haec, qui cuncta videt, qui singula lustrat,
Sol pater atque animo secum indignatus iniquos
Intorsit radios et lumine fulsit acerbo.
Aspectu quo terra parens correptaque ponti
Aequora quo tactus viro subcanduit aër.
Protinus illuvies terris ignota profanis
Exoritur. Primus regi qui sanguine fuso
Instituit divina sacrasque in montibus aras
Syphilus ostendit turpes per corpus achores,
Insomnes primus noctes convulsaque membra
Sensit et a primo traxit cognomina morbus,
Syphilidemque ab eo labem dixere coloni.
Et mala iam vulgo cunctas diffusa per urbes
Pestis erat, regi nec saeva pepercerat ipsi.
Itur ad Ammericen silva in Cartheside Nympham,
Cultricem nemorum Ammericen, quae maxima luco
Interpres Divûm responsa canebat ab alto.
Scitantur, quae causa mali, quae cura supersit.
Illa refert: spreti vos o vos numina Solis
Exercent: nulli fas est se aequare Deorum
Mortalem, date thura Deo et sua ducite sacra
Et numen placate, iras non proferet ultra,
Quam tulit aeterna est, nec iam revocabilis unquam
Pestis erit. Quicunque solo nascetur in isto
Sentiet. Ille lacus Stygios fatumque severum
Iuravit. Sed enim, si iam medicamina certa
Expetitis, niveam magnae mactate iuvencam
Iunoni, magnae nigrantem occidite vaccam
Telluri: illa dabit felicia semina ab alto,
Haec viridem educet felici e semine silvam,

Unde salus. Simul obticuit, specus intus et omne
Excussum nemus et circum stetit horror ubique.
Illi obeunt mandata: sua ipsi altaria Soli
Instituunt, niveam Iuno tibi magna iuvencam,
Nigrantem Tellus mactant tibi maxima vaccam.
Mira edam, at Divos iuro et monumenta parentum,
Haec sacra quam nemore hoc toto vos cernitis, arbor
Ante solo nunquam fuerat quae cognita in isto,
Protinus e terra virides emittere frondes
Incipit et magna campis pubescere silva.
Annua confestim Soli facienda sacerdos
Ultori nova sacra canit. Deducitur ipse
Sorte data qui pro cunctis cadat unus ad aram
Syphilus, et iam farre sacro vittisque paratis
Purpureo stabat tincturus sanguine cultros,
Tutatrix vetuit Iuno et iam mitis Apollo,
Qui meliorem animam miseri pro morte iuvencum
Supposuere feroque solum lavere cruore.
Ergo eius facti aeternum ut monumenta manerent,
Hunc morem antiqui primum statuere quotannis
Sacrorum. Ille tuum testatur Syphile crimen,
Victima vana, sacras deductus pastor ad aras.
Illa omnis, quam cernis, inops miserandaque turba
Tacta Deo est veterumque luit commissa parentum,
Cui votis precibusque piis numerisque sacerdos
Conciliat vates Divos et Apollinis iras.
Lustrati ingentes ramos et robora sanctae
Arboris advectant tectis, libamine cuius
Vi mira infandae labis contagia pellunt. —
Talibus atque aliis tempus per multa trahebant

Diversis populi commixti e partibus orbis.
Interea Europae fuerant quae ad cara remissae
Littora iam rursus puppes freta lata remensae
Mira ferunt: late (proh fata occulta Deorum!)
Contagem Europae coelo crebrescere eandem,
Attonitasque urbes nullis agitare medelis.
Quin etiam gravior naves it rumor in omnes,
Illo eodem classem morbo iuvenumque teneri
Haud numerum exiguum et totis tabescere membris.
Ergo haud immemores, diras cecinisse volucres,
Affore, quum silva auxilium poscatur ab illa,
Continuo faciles Nymphas Solemque precati
Intacti nemoris ramos et robora ab alto
Convectare parant luco, medicataque sumunt
Pocula pro ritu gentis, quo munere tandem
Contagem pepulere feram. Quin dona Deorum
Haud patriae obliti et felicem ad littora silvam
Nostra iubent ferri, coelo si forsitan isto
Assimilem pellant labem: nec fata secundos
Ipsa negant Zephyros facilisque aspirat Apollo.
Munera vos Divûm primi accepistis Iberi
Praesens mirati auxilium, nunc cognita Gallis
Germanisque Scythisque, orbé et gavisa Latino
Iam nunc Europam vecta est Huyacus in omnem.
  Salve, magna Deûm manibus sata semine sacro,
Pulchra comis, spectata novis virtutibus arbos:
Spes hominum, externi decus et nova gloria mundi,
Fortunata nimis, natam si numina tantum
Orbe sub hoc homines inter gentemque Deorum
Perpetua sacram voluissent crescere silva.

Ipsa tamen, si qua nostro te carmine Musae
Ferre per ora virûm poterunt, hac tu quoque parte
Nosceris coeloque etiam cantabere nostro.
Si non te Bactra et tellus extrema sub Arcto
Non Meroë Libycisque Ammon combustus arenis,
At Latium at viridis Benaci ad flumina ripa
Audiet et molles Athesi labente recessus,
Et sat erit, si te Tiberini ad fluminis undam
Interdum leget et referet tua nomina Bembus.

NOTAE

IN LIBRUM PRIMUM.

---

15. *Pietro Bembo*, natus 1470, Leoni X. Pont. Max. a literis, a Paulo III. purpura sacerdotali donatus, poëta latinus et historicus scriptor non ignobilis, hominum doctorum fautor et amicus.
16. Ioannes Medicaeus, sub nomine Leo X. Pontifex Max. ab anno 1513 ad annum 1521, artium liberalium ipse cultor et munificentissimus patronus.
31. Benacus lacus, hodie *Lago di Garda*, in agro Veronensi.
35. Christophorus Columbus et eius socii in novo orbe detegendo.
97. Elephas seu Elephantiasis morbus, leprae species, quae Romae primum apparuit, cum Pompeius M. ex Africa rediret.
98. Lichen seu Mentagra, morbus quidam cutaneus, Romae primo visus, ut ferunt, sub Tiberii Claudii Caesaris principatu medio. (Plin. 26. 1.) — Omnes, quas vidimus, editiones habent *incola Nili*, excepta Romana anni 1531 quam secuti sumus.
110. In hoc versu omnes editiones habent *accolit*, excepta Romana iam citata, quam etiam hic

secuti sumus, utpote antiquissimam et quae lectionem exhiberet sensui magis congruam.

118. Fortasse rectius legeretur *infecerit*, quam lectionem vero nulla exhibet editio.

186. Loquitur poëta forsan de morbo atrocissimo, qui sub nomine Mortis nigrae (*der schwarze Tod*) regnavit annis 1348—1350, et a coniunctione Martis, Iovis et Saturni deducebatur a medicis astrologicis illius temporis. Poëtice igitur et non satis exacte dictum est *bis centum* etc.

204. Descriptio poëtica coniunctionis Martis et Saturni in signo Cancri, a qua coniunctione, quae anno 1484 locum habuit, derivat, cum multis aliis sui aevi medicis, morbi Gallici originem Fracastorius.

211. Iovianum Pontanum, qui librum scripsit astrologicum „Urania sive de stellis", esse hunc vatem dicunt interpretes. Natus erat Pontanus anno 1426, mortuus est anno 1503. Cfr. Syphil. II. 38 sq.

272. Antiquiores edd. habent *caprigenum genus*, recentiores quaedam *capr. pecus.*

277. Paucae e recentioribus editionibus habent *longe via mortis*, antiquiores omnes *mora.*

314. Non in hoc loco solum sed etiam in libro secundo de morbis contagiosis (cap. 12.) bene praedixit Fracastorius morbum Gallicum non semper duraturum, sed penitus eum aliquando dispariturum, forsan etiam aliquando denuo rediturum.

360. Pro *ut saepe* recentiorum editionum habent antiquiores *tum saepe.* Phyllidis arbor tristis est Amygdalus.

383. Ollius in pascuis Sebinis Cenomanorum, est

flumen *Oglio* in Longobardica regione Italiae superioris. *Lago d'Iseo* est antiquorum Lacus Sebinus.

407. 408. Desunt hi duo versus in editione huius carminis Basileensi anni 1536, in opp. Fracast., Venet., 1555, in Luisinianae collectionis editione Veneta et Leidensi. Habet vero hos versus antiqua editio Syphilidis, quae Romae prodiit anno 1531; habent plures recentiores opp. Frac. et Syphilidis editiones.

418. *Omina* habet editio Syphilidis Romana et Basileensis, *omnia* plures aliae recentiores: Sensus est: dira omina videntur tartareos lacus ab imo barathro excivisse etc.

425—432. Meminit poëta occupationem urbis Neapolitanae per Carolum VIII, regem Galliae, et desperatum eius contra Italorum copias proelium ad *Taro* seu Tarrum fluvium, qui ab Eridano excipitur.

433. Sermo est de pugna Venetorum infelici apud *Ghiera d'Adda*, ad ripas Abduae seu Adduae, fluminis itidem ab Eridano excepti.

445. Verona antiquissima civitas, Catulli, Plinii iunioris, Vitruvii et Fracastorii ipsius patria.

454. Marci Antonii Turriani, amici coniunctissimi, mortem innuit poëta.

461. Editio Romana habet *Sacra*, Basileensis et plures aliae *Sarca*, quam lectionem secuti sumus, carminis Fracastoriani in obitum Turrii memores, ubi legitur: *„Et vos extremi flestis Hyperborei, sed mage Benacusque senex et Sarca etc.“*

NOTAE IN LIBRUM SECUNDUM.

24—34. Asiae orientalis et australis accuratior cognitio Lusitanorum navigationibus saeculo XV. peractis debetur; cfr. *Ramusio viaggi* Tom. I.

35—37. Americam a Christophoro Columbo detectam et coelum australe, insignibus conspicuum sideribus, innuit poëta.

38—42. Iterum de Pontano poëta sermo est, uti libro I., v. 211.

167. Fiat venaesectio ex vena basilica vel mediana brachii.

172. Praeparetur secundum leges artis medicae corpus ante institutam purgationem.

174—180. Coquantur thymus, lupulus, foeniculum, apium, fumaria, polypodium, capillus Veneris, asplenium et scolopendrium.

184. Veterum Tripolion, recentiorum forsan Plumbago europaea vel Aster tripolium.

188—190. Cucumis anguinus, thus, myrrha, bdellium, ammoniacum, opopanax et hermodactyli.

206. Scordion, cuius herbae virtutibus adeo confisus est Fracastorius, ut electuarium inde componeret, quod passim adhuc in officinis pharmacopoeorum prostat sub nomine *Diascordion* Fracastorii.

212. De citro Medica arbore odas et epigrammata composuisse dicitur Fracastorius, quae vero perierint.

223. Destilletur aqua medicata ex foliis hederae, dictamni Cretici, radicibus iridis Illyricae, rhamni et enulae, cuius aquae cyathus mane sumatur ad sudorem eliciendum.

260. Fumigatio mercurialis ex cinnabare, minio et stibio cum styrace et thure, quam ob noxios effectus partialem tantummodo suadet Fracastorius.

270. Fracastorii temporibus internus mercurii contra morbum Gallicum usus iam maiori medicorum parti innotuit et acceptus erat, quamvis a quibusdam tanquam noxius damnaretur. Elegantem de mercurii usu medico detecto fabulam exhibet poëta v. 283 sq.

340. *Omnia* pro *omina* falso habent edd. quaedam, Romana habet *omina* in Emendandis.

357. *Promentes* edd. quaedam recentiores, minus bene, cum syllaba *pro* in hac voce producatur, versus vero brevem postulet.

426—435. Fiat unguentum e mercurio vivo, adipe porcina, terebinthina et vulgari et laricina. Vel e mercurio vivo cum adipe equina aut ursina, bdellio, cedria, myrrha, thure, minio et sulfure, quibus addi potest radix hellebori nigri et iridis, galbanum, asa foetida, oleum mastichinum et balsamum sulfuris.

444. Pro *tulerit* habet *poscat* editio opp. Frac. anni 1584.

449. Pro *sed tu* habet *quae tu* ead. ed.

NOTAE IN LIBRUM TERTIUM.

5. Sancta arbos ex novo orbe devecta est *Guaiacum* seu *Hyacum lignum* ex nove tunc detecta America allatum et pro primario morbi Gallici medicamento habitum. Editio Romana habet *canenda est.*

19. *Altoque* habent ed. Basil. et plures aliae, *àlioque* habet ed. Rom.

32. Insula haec est Hayti seu St. Domingo, ab Hispanis Columbo duce eam primo attingentibus *Española* dicta seu Hispaniola.

126. Die duodecimo Octobris anni 1492 primo terra exspectata et paene desperata potitus est Columbus. Fuit haec terra insula *Guanahani* (San Salvador) ex serie insularum Lucayensium, quam post paucos dies iterum dereliquit, insulam *Cuba*, Antillarum maximam, quaesiturus, quam die 27 Octobris attigit, mox vero iter pergens *Hispaniolam* ipsam reperiit. Poëtice magis, quam geographice intelligendus est sequens locus, ita ut sub Anthylia Cubam, sub Hagia aliam Antillarum, sub Ammerie ipsam Americam, sub Cannibalum tellure insulas maris Caraibici, sub Gyane insulam Gonave s. Guanaba, quae Hispaniolae iacet ad occasum, vel forsan Guianam intelligas, et ut quae postea narrantur non fiant in Cuba insula sed in Hispaniola, uti aperte docet v. 33. Nam neque ab homine sub initio saeculi XVI. vivente accuratam illarum regionum cognitionem, neque a poëta accuratam descriptionem exspectabis.

135. Pro *Gyane* habet *Cyane* ed. Rom.

146. Pro *arva* habent edd. plurimae *ora*, Basileensis *aura;* nos lectionem editionis Romanae secuti sumus, Virgiliani illius memores: *Arva nova Neptunia caede rubescunt.* Aen. VIII. 694.

152. Psittacos hic intelligi a Columbi sociis frequenter in Antillis visos, non minus facile intelligitur, quam paulo post in versu 160 sq.

sermonem esse de pulvere pyrio a Germanis invento.

178. Ophyra dicitur hoc loco insula Hayti ob auri copiam ibi repertam vel speratam.

265. Atlantis insula a Platone commemorata maior fuisse quam Africa et Asia simul et periisse dicitur magno terrae motu. An America esse possit, olim cognita posthac deperdita nunc nove detecta, an potius alia regio nunc in oceani fundo posita, videant viri historiae telluris periti.

382. Versus insequentes docent, Fracastorium originem morbi Gallici non ex America deducere, sed eodem tempore ortam esse dicere hanc luem in Europa, quo America detegeretur.

405. Denuo arborem Guaiacum alloquitur, de cuius laudibus totus agit carminis liber tertius.

---

m